Eccleſiæ lib.1.art.46. Guillelmus de Rubion.4.diſt.38. quæſt.1.art.1. & ibi Guillelmus Vorrillong.q.vnica,artic.2. concl. 1.in fine. Nicolaus de Orbellis, ibi.q.1.§. 13.Palacios ibi,diſput. 2. concl. 3. Ouandus ibi.quæſt.vnica,propoſitione. 16.Nicolaus de Niiſa ſuper.4.ſentẽtiarum,part. 6.tract.3.de matrim.quæſt.7.concl.2.Veracruz. 1.par.ſpeculi, art.31.concluſ. vnica. Metina de ſacrorum hominum continentia,lib.4.controuer. 7.c. 22. & multis ſequẽtibus,præcipuè.c.31.paulò poſt principiũ.Stunica de voto.q. 6.n.116. Angles Floribus 1.p.vbi de matri.q.11. de impedimento ordinis, art.3.difficultate. 1. Mozzius de matri.tit.qui matrimonium cõtrahere poſſunt nu.12. Vgolinus de ſacram. vbi de matrim.c.19.nu.5. Hieronymus Plati lib.2.de Bono ſtatu religioſi. c.21. fine. Azor lib.12.inſtitutionum moralium.c.6. q.3. & dicit eſſe probabile, neutram partẽ definiens, Bellarminius in ſuis controuerſijs,lib.2.de Monachis. c.34.columna antepenultima, in ſolutione ad. 2. Et idem Azor eo.c.6. q. 4. dicit ſimiliter ſolo iure Eccleſiaſtico reddi profeſſum per votum paupertatis ſolemne, inhabilem ad acquirendum rei alicuius dominium, & ad trãſferendum illud in alium.

3 Alij verò cenſent id non ex iure naturali, ſed ex diuino poſitiuo cõſurgere. Ita Almain, in ſuo tractatu de poteſtate Eccleſiæ cap.15. Ducitur ea ratione, quòd nil referat, votum ſolemne prius ne matrimonio ſit, an poſterius: cùm igitur votum ſolemne poſterius matrimonio conſummato, illud non dirimat iure naturæ, & ex vi ſua, non dirimet quoq; quando votum ſolemne eſt prius matrimonio. ſed id habebit ex iure diuino poſitiuo.

4 Tertia ſententia ait, votum ſolẽne profeſsionis religionis ex vi ſua, ac iure naturali diuino vim habere matrimonium poſteà initum irritandi, ſecluſo quocunque iure Eccleſiaſtico. Ducitur. primò ex decreto Syricij Pontificis Epiſtola. 1. c.6.& refertur cap.ſi quis ſacro. §.ſi quis ſacro.§. velatæ.27.quæſtio.1. vbi ait contrahentes poſt votum ſolemne ſeparandos eſſe verbo Domini, & authoritate canonica. Non ergo ſolo iure Eccleſiaſtico, ſed diuino quoq; id matrimonium eſt irritum. Et confirmatur, quia Tridentinum ſeſſ.24.de matrimon.canone.9.ſic ait. *Si quis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeßos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validũ eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, & voto, anathema ſit.* Vbi videtur lex Eccleſiaſtica referri ad ſacros ordines, votum verò ad profeſsionem: quaſi ex natura huius voti ſit, vt matrimonium poſteà contractum dirimat. Secundò; quia iure naturæ res vni tradita, inualidè traditur alij. Nemo enim transferre poteſt in alium, quod iam non habet: iuxta regulam traditam.c. quod autem, de iure patron. at per votum ſolemne religioſi transfertur dominium perſonæ in Deum, ita vt iam non habeat religioſus dominium ſui corporis ad vſus matrimonij: vt probaui diſp.præcedenti, num.7.& 14. ergo iure naturæ eſt irrita trãslatio dominij in coniugem per matrimonium. Et confirmatur, quia hac ratione eſt iure naturæ irritum matrimonium initum à coniugato, viuenti priori coniuge: quòd corpus priori coniugi traditum, non poſsit validè alij tradi. Et cõfirmatur amplius, quia quãuis irritatio matrimonij ſubſequentis pendeat ex Eccleſia quaſi acceptante votum ſolemne, at id non obſtat, quo minus vbi acceptauit, dicendum ſit, non ex iure Eccleſiaſtico, ſed ex ipſa rei natura diſſolui matrimonium poſteà ſubſequens, vt inſtitutio præbendæ Eccleſiaſticæ ex authoritate Eccleſiæ ortum habet, at illa inſtitutione ſuppoſita, eſt contra ius naturale diuinum, illam vendere. Similiter cõtractus matrimonij pendet ex alterius coniugis acceptatione, at ea præmiſſa, diſſoluit vi ſua, & iure naturæ alium matrimonij contractum ſubſequentem. Et ratio eſt, quia authoritas Eccleſiæ nõ cõcurrit, quaſi ſtatuentis dirimi matrimonium poſt initum, ſed quaſi acceptantis: vt in matrimonio cõſenſus alterius coniugis. Sed reſpondebis traditionem per contractum matrimonij, non pugnare cũ traditione per profeſsionem: vt clarè probat primum argumẽtum oppoſitæ ſententiæ relatum, nu.2. At quãdo duo vincula non ita repugnãt, quin ſimul ſtare poſsint, vnum ſuapte natura nõ expellit alterum. At ſolutio hæc nõ exhaurit difficultatem. Quia vinculum matrimonij in fieri, ideſt, quoad ſui initium ita aduerſatur profeſsioni religionis præcedenti, vt nullatenus ſimul conſiſtere poſsint: ſecus in facto eſſe, ideſt, poſtquàm ſemel eſt legitimè initum matrimonium, tunc enim poteſt ſtare cũ profeſsione valida. Ratio diſcriminis ea eſt, quia non poteſt validè iniri matrimonium abſq; plena transla-

tione poteſtatis corporũ, & iure, ac poteſtate vtendi illo, & obligatione mutuò cohabitandi (vt probaui lib.5. diſp.10.num. 2.) quę translatio, & ius aduerſantur è diametro profeſsioni, vt pote quæ plenè trãſfert dominium corporis profeſsi in Deũ, cum obligatione perpetua abſtinẽdi à quibuſuis venereis, & vſu coniugali: atque ita ſuapte natura obſtat profeſsio matrimonio validè ineũdo. At poſtquã ſemel legitimè contractũ eſt matrimonium, cum plena hac translatione poteſtatis, & iuris, poteſt matrimonij eſſentia permanere, amiſſo iure vſus corporis, & cohabitationis (vt dixi eadem diſp.10.num. vltimo, in ſolutione ad vltimum.) Et conſtat, quando alter adulteratur: vel alter ex coniugis licentia profitetur. Et proinde cum tunc ceſſent quæ directè pugnabant cum profeſsione, poteſt validè profeſsio emitti. Ex his ergo conſtat has traditiones non omninò ſecum ita pugnare in facto eſſe, ideſt, quando profeſsio eſt poſterior matrimonio iam inito, quin ſimul aliquando conſiſtere poſsint: at pugnare quidẽ prorſus in fieri, quando profeſsio præcedit matrimonium ineundum, & hoc ſuapte natura, ex vi traditionis priùs factæ Deo per profeſsionem. Concluditur igitur ſuapte natura, ſecluſo quocũq; iure Eccleſiaſtico, profeſsionem præcedentem impedire valorem matrimonij ſubſequentis. Et ideò hanc partem tuentur. D. Thom. 4.d.38. quæſt.1.art.3.quæſtiunc.3.corpore: & ibi. D. Bonauen.artic.2.quæſt.1.Duran.quęſt. 1.in fine corporis. Maioris quæſt. 14.concluſ.1.fin. Capreolus.4.d.33.quæſt. vnic. artic.1.concl.1. Sotus lib.7.de iuſtit.q.2. art.5.colum.7.verſic.ſed interrogas,&.4. d.38.quæſt.2.art.2.column.4. verſic. & vt claritatis gratia. Petrus de Soto lect. 5. de matrimon.ad finem. Caietan.tom.1.opuſ. tractatu. 27. de diſpenſatione matrimonij in occidentali Eccleſia, quæſt.vnic.§.videtur autem mihi. Victoria relectione de poteſtate Papæ, num.1.in ſolutione ad.1. Ledeſma.2.par.4.quæſt.55.art.2.fin. Viguerius libro inſtitutionum cap.16.§.7. verſ. 9.impedimento.3. Stunica de voto.quęſt. 4.num.25. Henriquez lib. 12. de matrimo. cap.5.numer.2.fine, & numer.3. initio, & num.7.in fin. Valentia. 2.2.diſp.6. quæſt. 6.puncto.5.colum.3.§. eſt igitur: & col.4. §.altero igitur modo: & §.penultim.& in 4.part.tract.de matrim.diſput. 10. quæſt. 5.puncto.3.in impedimento voti. Aragon 2.2.quæſt.88.art.7.columna antepenultima.§.mihi ex his duabus. Petrus de Ledeſma de matrimon.quæſt. 53.artic.2. dubio vnico, concluſ.vnic. Bartholomæus à Ledeſma dubio. 33. de matrimon. concluſ.2. Ludouicus Lopez.2.par. inſtruct. de matrim. cap. 48.in ſolutione ad. 1. & dicunt eſſe probabile Veracruz.1.par.ſpeculi, ar. 31.fine: & Bellarminius numer. 2. allegatus. Et idem tenent ex Iuriſperitis, Turrecrem.cap.presbyteris, num.1. d.27.&.c. 1.art.2.num.4.& art.3.num.6.27.quæſt. 1. Tabiena, verb. diſpenſatio.quæſt.7.nu. 8.in ſolutione ad. 1. & verb.impedimentum, impedimento.2.numer.5. Couarrub. 4.decretal.2.par.cap.7.§.4.num.7. Alexander Carrerius lib.3. de ſponſalibus cap.6. fin. Matien.lib.5.recopil.tit.1.rubrica, gl. 1.numer.70. Barboſa rubrica.ff.ſoluto matrimon.2.par.numer.98. Vega.2.tom.ſummæ cap.57. caſu.11. Ex his ſententijs prima omninò amplectenda eſt, dicendumque ſolo iure Eccleſiaſtico dirimi matrimonium. Vt ſupra diſput.25. iuxta decreta Pontificum tanquã firmiorem, & probabiliorem ſententiam defendimus.

Ad argumenta autem cõtraria, numer. 5
4. propoſita facilis eſt ſolutio ex dictis diſput.præcedenti, & ex dictis, numer. 2. & latiſsime videri poſſunt argumẽtorum reſponſa in Michaele Medina allegato, numer. 2.

DISPVT. VIGESIMASEPTIMA.

An ordini ſacro ſit iure diuino annexa continentia: & obligatio ad illam ſit ex voto annexo, an ex ſola Eccleſiæ lege: & in quo eſſentialiter voti illius ſolemnitas conſiſtat?

SVMMARIVM.

Quotuplex quæſtio diſputanda ſit, nu. 1.

Continentia eſt annexa ordini ſacro, & conuenientiſsime, nu. 2.

Hæc obligat abſtinere à nuptijs, & ab omni actu venereo, nu. 3.
Refertur ſententia aſſerens eſſe annexam iure diuino, nu. 4.
Ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto eſt annexa, nu. 5.
Nec iuris diuini eſt, nec Apoſtolici, ne ad ſacros ordines eligantur, niſi ij, qui nullo fuerint anteà matrimonio iuncti, nu. 6.
Nec ordini Epiſcopali eſt annexa iure diuino continentia. n. 7.
Soluuntur argumenta. n. 8.
Poſt nu. 8. inuenies alia ſummaria.

1 NON Petit diſputatio præſens, quo iure ordo ſacer matrimonium ſubſequens dirimat: id enim diſput. ſequenti diſcutiendum eſt: vbi numer. 8. oſtendam poſſe ſtare, vt continentia ſit annexa iure diuino ordini ſacro, & tamen ſodo iure Eccleſiaſtico matrimonium ſubſequens dirimat: petit ergo diſputatio hæc, qualiter obligatio ad caſtitatem ſeruandam ſit ordini ſacro annexa. Triplex igitur quæſtio diſputanda eſt. Prima, quo iure continentia ſit ordinibus ſacris annexa? Secunda, an ea obligatio ſit ex mera Eccleſiæ conſtitutione præcipientis promotis ad ordines ſacros continentiam: an potiùs ex voto implicitè emiſſo in eorum ſuſceptionē? Tertiò, in quo conſiſtat eſſentialiter ſolemnitas illius voti?

2 Quęſtio prima. An iure diuino, potiùs ne ſolo Eccleſiaſtico ſit annexa continentia ordinibus ſacris? Quæſtio hæc non eò pertinet, vt diſcutiatur, num exiſtentes in ſacris teneantur iure diuino, & naturali ad cōtinentiam, ſuppoſito voto, quod in eorum ſuſceptione emittūt. Qui enim fatentur id votum (quos n. 10. referam) ſubinde concedent eam obligationem eſſe ex iure diuino naturali, ex quo vim obligandi votum ſortitur. Qui verò id votum non admittunt (quos num. 9. citabo) negabunt eam obligationem ex iure naturali. Sed difficultatis punctus in eo ſitus eſt, an cōtinētia annexa ordinibus ſacris, ſiue ex voto, ſiue ex Eccleſiæ cōſtitutione proficiſcatur, ſit iure diuino annexa: an potiùs ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, ſtatuentis eos teneri ad continentiam, aut ad votum continentiæ emittendum in ordinis ſacri ſuſceptione: ita vt ceſſante Eccleſiæ conſtitutione, nulla ratione tenerentur promoti ad ordines ſacros continentiam ſeruare, nec id votum emittere? Et quidem continentiam eſſe annexam ordini ſacro, ita vt illum ſponte ſuſcipiens teneatur in poſterum continere, idq; conuenientiſsimum eſſe, fides catholica eſt. Id enim eſt definitū. c. rurſus, qui cler. vel vou. cap. 2. de cleric. coniug. clemen. vnica, de conſanguin. c. ſi quis eorum, quod eſt ex. 6. Synod. c. 6. & cap. erubeſcant, quod eſt ex D. Gregorio ad dominum Patriarcham. 32. d. & multis alijs textibus, quos num. ſequenti referam: & nouiſsimè in Triden. seſſ. 24. canone. 9. De cuius legis antiquitate, & conuenientia longus eſſet tractatus inſtituēdus, niſi præter multos Doctores antiquiores, nouiſsimè quæſtio hæc eſſet diſputata ab aliquibus, qui de hac re ſunt omninò conſulendi, vbi etiam argumentis hęreticorū eam legem cœlibatus impugnantiū ſatiſfaciunt. Hi ſunt Michael de Metina de ſacrorum hominum continentia, toto lib. 2. &. 3. Bellarminius in ſuis controuerſijs, libro. 1. de clericis. c. 19. & ſequentibus. Valentia in ſuis cōtrouerſijs, lib vnico de cœlibatu, à cap. 3. vſque ad finem. Et 4. part. tractat. de Sacram. ordinis, diſp. 9. q. 5. toto puncto. 5.

Hæc autem continentia clericorum nō tantùm obligat continere à nuptijs, ſed etiam ab omni actu venereo, perinde ac votum caſtitatis. Quia cùm mācipentur functioni rerum ſacrarum, omnis mundicies eos condecet. Et cōſtat, quia textus abſolutè de caſtitate loquuntur. Vt conſtat ex c. 1. d. 28. ibi. *Niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit.* Et. c. Diaconi, eadem. d. ibi. *Profeſſi continentiam.* Et c. 1. d. 31. ibi. *Niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit.* Et. c. placui, eadē d. ibi. *Continentes eſſe in omnibus.* Et cap. de ijs. d. 28. quod eſt ex Cōcilio Toletan. 2. vbi de promotis ad ordines ſacros ſic dicitur. *Cauendum tamen eſt ijs, ne quando ſuæ ſponſionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos concubitus vltra concurrant. Quod ſi fortè fecerint, vt ſacrilegij rei ab Eccleſia habeantur extranei.* Et. c. 1. 27. d. quod eſt Martini Pōtificis, ibi. *Si dixerit non poſſe in caſtitate permanere, hic non ordinetur.* At Cōcilio Carthaginenſi. 2. c. 2. & refertur. c. cùm in præterito. d. 84. ibi. *Gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos (inquam) Presbyteros, & Diaconos, ita placuit vt condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus.* Idem etiam conſtat, quia conſtituti 3

in

in ſacris fornicantes, ſunt ſacrilegij rei (vt dicemus hac diſputat. n. 19.) Et ſi coniugatus quiſpiam ad ordines ſacros inuita vxore promoueretur, non poſſet debitum petere (vt dicemus hoc lib. diſp. 38. nu. 21.) vtrumq; autem falſum eſſet, ſi caſtitas ad quam tenentur, ſola eſſet reſpectu abſtinētiæ à nuptijs ineundis. Quippe voto non ducendi vxorem aſtrictus, non peccat cōtra votum fornicans, nec ſi ducat, tenetur debiti petitione abſtinere. Et ideò ita docent Celaia. 4. d. 37. q. 3. Gutierrez lib. 2. q. canon. c. 7. nu. 2. Valentia in ſuis cōtrouerſijs, lib. vnico de cœlibatu. c. 2. & in ſua 4. p. tractatu de ſacra. ordinis, diſp. 9. q. 5. puncto 5. §. 1. ſtatim in principio. Et idem tenentur dicere omnes aſſerentes fornicationem clerici in ſacris cōſtituti eſſe ſacrilegium: & cōiugatum promotū ad ſacros ordines nō poſſe debitum petere: quos referam locis proximè citatis.

4 His præmiſsis, duplex eſt ſententia circa quæſtionē propoſitam. Prima ſuſtinet iure diuino annexam eſſe continentiā ordini ſacro. Ducitur, quia ab Apoſtolorum tēpore Eccleſia latina, & Græca hactenus ſeruauit, ne ad ſacros ordines promoti matrimoniū ineāt. At iuris diuini videtur eſſe ꝙ tādiu in Eccleſia viguit. Secundo ex illo Lucę. 21. vbi Chriſtus ſuis diſcipulis dixit. *Attendite ne grauētur corda veſtræ crapula, & ebrietate, & curis huius ſeculi.* Quod D. Leo ſermone. 8. de ieiunio decimi menſis, dicit in primis pertinere ad Eccleſię miniſtros. Et 2. ad Timoth. 2. ait D. Paulus, *Nemo militās Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus.* Et ad Titū. c. 2. ſuadet Tito Epiſcopo, vt ſecularibus curis depoſitis Deo inſeruiat, & ad hoc ait apparuiſſe Saluatorē noſtrū. Tertiò, quia Deuter. 33. dicitur Leuitas neſcijſſe filios ſuos. Quod falſum eſſet, ſi intelligeretur de Leuitis miniſtris veteris legis: ſed intelligitur ſpiritualiter, & propheticè de miniſtris noui teſtamenti. Quartò, quia Syritius Pontifex in Epiſtola ad Hymeriū Tarraconēſem Epiſcopū, præcipiens cœlibatum clericis, eam legē confirmat, quòd Chriſtus voluerit in Eccleſia ſua caſtitatem radiare. Quintò, quia ſacerdotes apud Ethnicos ſolo naturæ lumine ductos pudicitiam habebant cōmendatiſsimā, vt ex varijs teſtimonijs cōſtat, quæ latè congerit Tiraq. l. 15. connubia. à nu. 118. Signū igitur eſt obligationem hāc ex ipſo iure naturali diuino conſurgere. Et ideò continentiam eſſe iure diuino ordini ſacro annexam, affirmant Maioris. 4. d. 24. tota. q. 2. Vualdenſis de ſacramētis. c. 128. n. 5. &. c. 129. ſtatim in principio: & de ſacramentalibus. c. 66. nu. 6. Franciſcus Torrēſis lib. 2. de dogmaticis characteribus, fol. 85. col. 1. & fol. 88. col. 2. Cela. 4. d. 37. q. 1. fin. Et dicit probabilem Azor lib. 13. inſtitutionum moralium. c. 12. q. 1. §. quāquam autem. Et idem tenent cum quadam moderatione. Clitouæus lib. de continentia ſacerdotum. c. 4. & Metin. lib. 2. de ſacrorum hominum continentia. c. 7. fine, & multis ſequentibus, vbi dicunt caſtitatem eſſe annexā iure diuino ordini ſacro, quoad hoc vt ſacris initiatus vxorem non ducat, aut matrimonio inito poſt ordinem ſacrum non vtatur: ſecus quoad vſum matrimonij ante ordinem ſacrum contracti.

Secunda ſententia (cui tanquam veriori adhæreo,) ſit ſolo iure Eccleſiaſtico annexam eſſe continentiam ordinibus ſacris: 5 quamuis enim ordo ſuapte natura quandā afferat congruentiam, decentiamq; caſtitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex ſe parit virtutem præcepti, vt eò ipſo quòd Chriſtus ſacramentum ordinis inſtituerit, ſit ſacro ordine intiatis matrimoniū iure diuino interdictum. Probatur, quia licèt ſit aliqualis traditio in ordine ſacro, nō tamen eſt totalis, ſed ad cultum Dei, & diuinum officium: cui traditioni non repugnat matrimonium iure diuino, cùm tale præceptum nullibi reperiatur (vt cōſtabit n. 8. ex argumentorū ſolutionibus) nec iure naturali. Cùm ſit aliquin licitus matrimonij vſus, & permiſſus græcis, quādo matrimonium eſt ante ordines initum. c. cū olim, de cleric. coniug. & D. Grego. lib. 1. epiſ. 42. ſubdiaconis Siciliæ cōceſsit poſſe vti matrimonio ante ordines cōtracto. Et cōfirmatur, quòd ſi iure naturę ordo ſacer pugnaret cum matrimonio, eſſentq; incōpatibilia, dirimeret vtiq; ordo ſacer matrimoniū ratum præcedens: inſtar profeſsionis ſolemnis. Cuius contrarium definitum eſt in extrauag. antiquæ, Ioan. 22. de voto. Secūdò, quia in Triden. ſeſ. 24. canon. 9. videtur apertè lex hęc de clericorum cœlibatu vocari Eccleſiaſtica. Vt pōderaui diſput. præcedenti. n. 4. in confirmatione primę rationis. Et Calixtus. 1. c. presbyteris d. 27. appellat eam Eccleſiaſticam, ibi. *Contracta quoq; matrimonia ab huiuſmodi perſonis, disiungi, iuxta ſacrorum canonum definitiones iudicamus.* Et ideò hanc ſententiam tradunt. D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. in fine corporis.

poris. Caiet. in opuſc. tomo. 1. tract. 27. de diſpenſatione matrimonij in occidentali Eccleſia. q. vnic. §. videtur autem mihi. Gādauo quodli. 5. q. 38. Abulēſis. c. 30. Num. q. 109. col. 4. Deza. 4. d. 33. q. vni. ar. 3. notabil. 3. D. Anto. 2. p. tit. 10. c. 2. §. 9. verſ. Papa autē, &. 3. p. tit. 1. c. 8. concluſ. 2. Vigue. lib. inſtitutionum. c. 16. §. 7. verſ. 9. impedimen. 4. Claudius Spenſæus lib. 1. de continentia ſacerdotum. c. 3. Palud. 4. d. 38. q. 4. ar. 4. n. 48. Sotus lib. 7. de iuſt. q. 4. ar. 2. columm. 4. verſ. de tertia propoſitione, & col. 8. verſ. per hęc ergo, &. q. 5. ar. 3. in ſolutione ad. 2. &. 4. d. 38. q. 1. ar. 1. col. 3. verſ. dubiū tamē eſt, quo iure. Ouād. 4. d. 25. q. vnic. propoſ. 9. Palacios. 4. d. 27. diſput. 2. col. 22. verſ. obijcies forſan. & col. 25. verſ. at dices, &. d. 37. diſp. vnic. cōcl. 4. &. d. 25. diſp. 2. concl. 6. Barthol. à Ledeſm. de matri dub. 35. col. 2. Henriq. lib. 10. de ſacra. ordinis. c. 14. num. 7. Petrus de Ledeſm. de matrim. q. 53. art. 3. dub. 1. concl. 3. Bellar. in ſuis controuerſijs, lib. 1. de clericis, toto c. 18. Valentia. 4. p. tractatu de ſacrā. ordinis, diſp. 9. q. 5. puncto. 5. §. 1. & in ſuis cōtrouerſijs, lib. vnic. de cœlibatu. c. 2. Azor lib. 13. inſtitutionum moralium. c. 12. q. 1. Aragon. 2. 2. q. 88. ar. 11. paulò ante ſolutionē ad argumenta, notabil. 3. & col. 3. §. hoc tamen non obſtante. Ludouicus Lopez. 2. p. inſtruct. de matri. c. 48. in ſolutione ad 1. Viualdus candelabro ſacram. 1. p. vbi de matri. n. 142. 144. Vega. 2. tom. ſummæ. c. 57. caſu. 6. Llamas methodo curationis animarum. 3. p. c. 4. §. 41. & ex Iuriſperitis, Innoc. c. placet. n. vnic. de conuerſ. coniug. & ibi Ioan. And. nu. 4. Hoſtien. ibi, ad fin. Anton. n. 9. Abbas num. 7. Anchar. ad fin. Cardi. n. 3. q. 3. Henricus. nu. 3. Aretin. cōſil. 59. n. 7. fin. Brunel. de ſpōſal. concl. 30. nu. 3. Syl. votum. 4. q. 5. Tabiena verb. diſpen. q. 7. nu. 8. in ſolutione ad. 1. Couar. 4. decre. 2. p. c. 6. §. 3. nu. 2. Rota in nouiſsimis, deciſ. 561. n. 11. & 12. Antonius Cucus lib. 5. inſtitutionum maiorum tit. 12. n. 219 Stunica de voto. q. 6. n. 116. Barboſa rubrica ff. ſoluto matrim. 2. p. n. 89.

6 Nec iuris diuini eſt, nec Apoſtolici, ne ad ſacros ordines eligātur, niſi ij, qui nullo fuerint antea matrimonio cōiuncti. Quia D. Paul. 1. ad Timot. 3. & ad Titum. 1. ſcribit oportere Epiſcopum eſſe vxoris vnius virum. Et ex multis alijs probat Azor lib. 13. inſtitutionum moraliū. c. 12. q. 7. Nec obſtat D. Clemēs Epiſtola. 2. vbi ait ad dominica miniſteria tales eligendos eſſe, qui ante ordines aſſumptos, vxorē non nouerint. Nam eſt intelligendus, id eſt, qui vxoribus ſuis non commiſcētur, atq; ita vſum coniugij negat ſacerdotibus.

De ſtatu autē Epiſcopali poſſet eſſe maior difficultas, an iure diuino ſit illi annexa caſtitas? Quòd perfectior ſit religioſo, vt tradunt DD. 2. 2. q. 184. ar. 7. cui tamen iure diuino, & eſſentialiter annexā eſſe caſtitatem, diximus diſp. 25. n. 8. Deinde, ꝙ Epiſcopi propoſiti ſint populo, vt virtutū exemplar: atq; ita Matthæi. 5. appellantur ſal terræ, & lux mundi. Id autē cum ſtatu coniugali repugnare videtur. At dicendū eſt, ſolo iure Eccleſiaſtico illi annecti ratione ordinis ſacri. Quare (vt dicemus diſp. ſequen. n. 13.) ſi Epiſcopus eſſet tantū electus, & confirmatus, & nondum in ſacris conſtitutus, non tenetur ratione ſtatus ad caſtitatem. Ducor, quoniam ſtatus cōiugalis non habet repugnantiam cum miniſterijs Epiſcopalibus, ſed tantùm ex quadam decentia, & honeſtate oportet Epiſcopū à cōiugio abſtinere, quod ſecluſo iure Eccleſiaſtico non tranſit in præceptū. Deinde, quia D. Paulus (vt. n. præcedenti retuli) dixit oportere Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum. Et elegit in Epiſcopū Dionyſium Areopagitam Athenienſium, vt in eius vita refertur: quem tamen coniugatū fuiſſe cōſtat ex. c. 17. Actuū Apoſtolorū, & Turonica Synodus. 2. canon. 13. &. 14. vxorē Epiſcopi appellat Epiſcopam. Nec obſtat ſtatum Epiſcopi eſſe perfectiorem religioſo: & Epiſcopos eſſe exēplar. Quia ſtatus religioſus licèt ſit imperfectior in ordine ad alios perficiendos; at in ordine ad propriam perfectionem aſſequendā eſt perfectior, & claudit mortem perfectā ſpiritualem. Quare ſicut non obſtante ea maiori perfectione Epiſcopat⁹, nullo iure eſt ei annexa paupertas, quæ tamen eſt de eſſentia ſtatus religioſi: (vt probaui diſp. 25. n. 8.) ita nec caſtitas, niſi ex iure Eccleſiaſtico, ratione ordinis ſacri, qui neceſſariò præmittitur conſecrationi Epiſcopali. Et ita docent Palacios. 4. d. 16. diſp. 3. col. 14. poſt. 1. concluſ. verſ. vnde non ſat erit. Petrus à Ledeſm. de matr. q. 53. art. 3. colum. antepen. 7

Ad argumēta nu. 4. propoſita reſpondetur. Ad primū dic ex ea antiquitate nō colligi præceptū eſſe iuris diuini, ſed eſſe Eccleſiaſticum ab Apoſtolis originē trahēs. Ad ſecundū dic ijs in locis non interdici omninò curas ſeculares, ſed nimias, quæ 8

non est de iure diuino, sed est consentaneum voluntati Christi

auertant à ſpiritualis ſalutis cura neceſſaria, quam cōiugium minimè impedit, aliàs eſſet illicitum. Adde, nec ea omnia verba ad ſolos Eccleſiæ miniſtros referri, ſed ad omnes etiam fideles, vt latè, & eruditè probat Valentia in ſuis cōtrouerſijs, lib. vnico de cœlibatu, cap. 2. Ad tertium dic, eſto admittamus vaticinium eſſe de continentia miniſtrorum nouæ legis, non cōcludi id fore præceptum diuinum, ſed vaticiniū verificari, ſiue lege diuina, ſiue Eccleſiaſtica præcipiatur illis continentia. Ad quartū reſpondeo, non inde colligi eſſe diuinum præceptum, ſed conforme volūtati Chriſti, qui voluit caſtitatem in Eccleſia enitere, eo modo, quo ad bonum ipſius ſtatus pertineret. Ad vltimum dic, inde argui eſſe cōforme rationi naturali, vt ei ſtatui annectatur caſtitas, tanquàm res illi decentiſsima, non tamen cōcluditur eſſe omninò neceſſariam.

SVMMARIVM.

AN obligatio clericorum ad continentiam, ſit ex voto? Refertur quædā ſententia. n. 9.

Hæc obligatio eſt ex voto. num. 10.

Quid, ſi promotus ad ordines ſacros ignoret votum continentiæ illis annexum? num. 11.

Quid, ſi noluerit tunc vouere, & an peccet mortaliter? num. 12.

Quid, ſi ordo ſacer fuit irritus, vt quia fuit collatus à non vero Epiſcopo, vel defuit aliquid ſubſtantiale? num. 13.

An ſit dicendum, initiatos ſacris teneri duplici obligatione ad caſtitatem, nempè ex voto, & Eccleſiæ conſtitutione? num. 14.

Soluuntur argumenta. num. 15.

Poſt num. 15. inuenies ſummaria cætera, quæ deſiderantur.

9 QVÆSTIO Secunda. An obligatio, qua tenentur clerici ſacrorum ordinum ad continentiam ſeruandam, ſit ex mera cōſtitutione Eccleſiæ præcipientis continentiam illis, vel ex voto, quod Eccleſia annexit ordini ſacro? Cōſtituto iam ex ſola Eccleſiæ conſtitutione teneri huiuſmodi clericos ad continentiā ſupereſt diſcutere, an ea obligatio ſit ex Eccleſiæ præcepto directè præcipiente illis caſtitatem, vt præcipit audire Miſſam diebus feriatis: vel immediatè ſit ex voto caſtitatis in ordine ſacro tacitè emiſſo, mediatè autem ex Eccleſiæ cōſtitutione, quæ id votū ordini ſacro annexit, quod iure diuino annexum non erat. Et procedit quæſtio ex ſe, & ſecluſa ignorantia talis voti, aut contraria voluntate: de quibus euentibus dicitur nu. 11. & 12. Nec exiſtimet quiſpiam, parū referre ad rem moralē, vnum, aut alterum dicere. Nam multùm refert, ſi enim eſt merum præceptum Eccleſiaſticum, valida erit diſpenſatio Pontificia ad contrahendum matrimonium abſque cauſa conceſſa. Secus ſi ſit obligatio ex voto. Præterea, licèt validum ſit in vtroque caſu matrimonium virtute illius diſpenſationis abſque cauſa conceſſæ initum. Quòd ſolo iure Eccleſiaſtico id votum dirimat contractum matrimonij ſequentem: vt dicemus diſput. ſequenti, num. 11. At ſi ſola conſtitutio Eccleſiæ obliget ad caſtitatem, cùm ſit omninò valida diſpenſatio, poterit poſt initum matrimonium peti debitum: ſecus ſi obligatio ſit ex voto. Quia cùm inualida fuerit voti diſpenſatio, obligabit votum, inquantum patitur ſtatus matrimonij, nimirum ad non petendum debitum. Quod latiùs lib. ſequenti dicemus diſput. de diſpenſatione in voto ſolemni ordinis ſacri. Dicūt ergo quidam in præſenti diſputatione, eā obligationem non eſſe ex votò, ſed ex Eccleſiæ ſtatuto: atque ita votum iſtud annexum ordini ſacro, quoad rem ipſam attinet, aliud non eſſe, quàm illam obligationem iure Eccleſiaſtico inductam ad nō ducendam vxorem poſt ſacros ordines ſuſceptos, & ad perpetuam continentiā deinceps ſeruandam: eamque obligationem appellari votum continentię (ait Valentia ſtatim allegandus) implicitum: quòd impoſita ſit ijs, qui ſacris initiantur, ob maiorem Dei cultum: qui finis in votis reſpici ſolet: & appellari ſolemne: quia inſtar voti ſolemnis dirimit ſubſequentem matrimonij contractum. Ducitur hæc ſententia. Quia cū votum ſit lex priuata, quam quiſque ſua ſponte ſibimet imponit, non videtur qua ratione in Eccleſiæ facultate ſitum ſit, voto aliquem obligare, quanuis lege ſua poſſit illi continentiam indicere. Deinde, quia ad ſacros ordines promotus tenetur ęquè continere, quamuis ignoret inuincibiliter votum illis annecti: aut expræſsè nolit vouere. At tunc conſtat non obligari ex voto: quod eſt lex priuata, propria ſponte ſuſcepta. Et ideò huius ſentētiæ ſunt Scotus. 4. d. 37. q. vnic. §. dico igitur. Mattheſillanus, quem referunt, & ſequuntur dicentes eſſe communem ſententiā, Cardi-

nalis. cle.ad noſtrã verſ. 7. n.3. de hęretic. & ibi Immol.n.vlt.Innoc.c.placet. n.vnic. verſ.ex hoc apparet,de conuerſ.cõiug. Archid.c.cũ in præterito, ſuper verb. annexi n.d.84. & ibi Laurentius, & Hugo per ipſum allegati,& ibi Turrec.ad fin. idẽ Turrec.c.placuit,art.1.n.6.in ſolutione ad. 5.d. 32.Ioann.de Lignauo.c.2.de cleric.cõiug. Prępoſ.rubrica,qui clerici,vel vou. n.3. & n.fin.Henric.c.rurſus, in fin. qui cleri. vel vou.Bellamer.c.de illo.nu.4.d.32.Palud.4. d.37.q.1. ar.2. nu.14.& d.38.q.2.art.vnico nu.12.Gandauo quodlib.5.b.38.Decius.c. at ſi clerici,in principio,in noua edition.n. 235.verſ.3.limitari poteſt,de iudicijs.Bonifacius clem.vnic.nu.fin.de conſang.Paleotus de nothis,& ſpurijs.c.16.nu.15. Stun.de voto.q.4. Gutierrez. q. canonicis, lib.2.c. 7.nu.45.Valentia.4.p.tract.de ſacram.ordinis,diſp.9.quęſt. 5.punct.5.§.1.paulò poſt principium,& in ſuis controuerſijs,lib.vnico de cœlibatu.c.2.paulò poſt principium. Balthaſar Mogollon tract.de his,quę vi.c. 8.§.2.n.26.& eſt probabile.

10 Cęterùm multò probabilius eſt,ẽam obligationẽ non conſurgere immediatè ex cõſtitutione Eccleſię, ſed ex voto caſtitatis quod Eccleſia ſuo pręcepto annexuit ordinibus ſacris: cogitq; eos, qui ordinẽ ſacrũ aſſumunt,vt votũ caſtitatis emittant, non expreſſè,ſed facto ipſo,& tacitè, quãuis enim nõ voce voueãt,at facto,& opere profitẽtur caſtitatẽ per ſacrorũ ordinũ ſuſceptionẽ:ſicut per delationẽ habitus profeſſorũ,& exercitium actuũ illis ſolis competẽtium in religione approbata inducitur tacita ſolemnis profeſsio. c. vidua, de regular. Et quidẽ probatur primò id ſubeſſe poteſtati Eccleſię,& verè ſic votũ ligare. Quia quamuis Eccleſia neminem poſsit abſolutè cogere ad continentiam, quòd ſit res meri conſilij cap.integritas.32.quęſt.2.At in ordine ſacro,quem confert, poteſt apponere conditiones, & leges iuſtas illi ſtatui conueniẽtes,qualis eſt, vt ad illum promotus, caſtitatem voueat. Sicut quilibet in rei ſuę traditione poteſt legem apponere.l. in traditionibus.ff.de pactis. Et ſuppoſita hac lege, eò ipſò quòd quis vult ſacris initiari, vult ex conſequenti vouere, ſicut vult obligari ad recitandum officiũ canonicum, quod ſimiliter eſt onus ordini annexum. Quare id votum non eſt abſq; propria voluntate,vt qui officiũ prætoris obit, aut ad epiſcopatum prouehitur,contrahit eò ipſò obligationes ſtatui, & officio annexas.

Deinde probatur reuera Eccleſiam decreuiſſe vt promouendi ad ordinem ſacrum id votum emittant.Nan D.Greg.lib. 1. epiſt. 42.in fin.& rẽfertur.c.1.d.28. ſic ait, *Nullũ facere diaconum præſumãt Epiſcopi, niſi qui ſe victurũ caſtè promiſerit.* Vbi gloſſ.verb.promiſerit,dicit,expreſſè,vel tacitè. Et c. diaconi,eadem.d. quod eſt ex Synodo Ancyrana. c.10.ſic dicitur. *Quicunq; ſanè tacuerunt,& ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſsi continentiam.* Cùm ergo Epiſcopi non ſint tranſgreſſores huius pręcepti, ſed id obſeruent, ſuſcipientes, intelliguntur ipſo facto vouere caſtitatem, licèt non verbo. Idem probatur ex cap. cùm olim, de cleric.coniug. ibi, *Nos igitur attendentes quòd Orientalis Eccleſia votũ continentiæ non admiſit.* Ergo ſupponit in Eccleſia Occidentali, quæ eſt Latina, id votum continentiæ eſſe ordinibus annexum.Pręterea id appellatur votum cap. vnico, de voto, in. 6. & extrauag.antiquę,Ioannis.22.de voto.Et in concilio Toletan. 2. & refertur cap. de his. d. 28.Et ideo hanc partem ſuſtinent. D.Tho. 4.diſt.37.q.1. ar.1. corpore, & ibi Ricardus art.1.q.1.corpore.Capreolus.4.d.33.q.vnica,ar.1.fin.& ibi Deza.q. vnic. art. 4.ad finem. Caiet. reprobans contrariam ſententiam,in opuſc.tom.1.tract.27.de diſpenſatione matrimonij in Occidentali Eccleſia quęſt.vnica.§.quoad ſecundum. Abulenſis cap.5.Matth.quęſt.200. paulò poſt principium. Vualdenſis de ſacramentalibus. c. 66.n.2.D.Anton.3.p.tit.1.cap.8. concl.2. Clictouęus de vita, & moribus ſacerdotũ cap. 21. paulò poſt principium. Arboreus lib.5. Theoſophię.cap.7.paulò poſt principium verſ. rurſus obijciet. Sotus lib. 7. de iuſt.q.4.ar.2.col.4. verſ. de tertia propoſition. & q.5.ar.3.ad 2. & 4.d.38.quęſt.1.art. 1.column.4.verſ.eſt tamen animaduertendum,& artic. 2.col.3.verſ.quare profectò. Petrus de Soto lect.5.de matrim. §. cęterũ rationem. Caſtro lib. 13. aduerſus hęreſes verb.ſacerdotium,hęreſi.4. Viguerius lib. inſtitutionum.c.16.§.7.verſ.9.impedimento.4. paulò poſt principiũ. Michael Metina latè impugnans contrariã ſententiã, lib. 5.de ſacrorum hominũ continentia cap. 2. & ſequentibus.Ouandus. 4. d. 25. q. vnic. propoſitione.9.Palacios.4. d.37. q. vnica, concl.3.in fine. Toledo lib.4.ſummę cap. 17.n.21.& lib.7.c.8. n.3. Bellarmin. in ſuis controuerſijs,lib.1.de matrim. c. 21. paulò poſt principium.§. impedimenta. Et lib.1. de clericis capit. 18. paulo poſt principium

§. at beatus. Philiarcus de officio ſacerdotis,tom. 1. p.2. lib.2.c. 9. ſtatim in principio. Aragon.2.2.q.88.ar.11.col.2.§. his conſtitutis,& col.4. fin. Henriquez lib. 10. de ſacram.ordinis.cap. 14.n.7.fin.& lib.12.de matri.c.5.n.9. Emmanuel Sa in ſum. verb. ordo.n.28.Bañes.2.2.q. 12.ar.1.pag.672.§. ſecunda concluſio. Azor impugnans contrariam ſententiam,lib.13. inſtitut. moral. c.12.q.6.& c.14.q.10. Vega.2.tom. ſumm. c.57.caſu.7.& 11.Petrus de Ledeſm.de ſacram.vbi de ſacram.ordin.c. 6.difficultate 1.dict.3.& de matrim.q.53. art.3.dubio.1. in corollario,quod infert ex.3. concl. Barthol.à Ledeſ.de ſacram.ordinis,dubio.14. col.penul.verſ.7.Ludo.Lopez.2. p.inſtru. de matrim.c.49.col.5.verſ.ad verbum. Manuel.2.tom.ſumm.2.editione.c. 96. nu. 4. concl.4 & ex Iuriſperitis,gloſ.c. coniugatus,verb.continentiam,de conuerſ. cõiug. & extrauag. antiquæ Ioan. 22. de voto, in fin.& c.vnic.de voto, in.6.in caſus poſitione,notab.3.& verb. ſacri. & ibi Dominicus n.5.& ibi Fran.n.1.notab.4. gloſ.c.cũ olim verb.votum,de cleric. coniug. & ibi Hoſt. n.1.fin. Anton.n. 8.Abbas. nu. 4.Card.in fin.Immol. nu.7. Calderin.tit.qui clerici, vel vou.conſ.vnic.ad fin.Idem Hoſt.ſumma tit.de ætate,& qualit.nu.5.verſ. ſed nũ quid cõditionaliter.Speculator.tit.de ſtatu monach.§.vlt.n.42.idem Abbas.c. Ioann. n.1.notabili.1.de cleric.coniug.idem Cardin.c.vnic.n.1.q.1. de cleri.per ſtatum promoto.Idem Dominicus.c.1.nu. vnic.verſ. nota quòd,& c.diaconi,fin.28.d.& c.quoniam nu.3.d. 31.& c.placuit nu. 1.& c. nemo,paulò poſt principium.d.32. idem Immola.c.vt clericorum nu. 1.de vita, & honeſt.cleri.Barbatius conſ. 60. nu. 5. vol.1. Monald.ſum.vbi de voto.§.qualiter poſsit votum redimi.Aſtenſis ſumma. 2. p.lib.8. tit.22.ar.1.q.3.Lex regia.39.tit.6.p.1.Turrecr.c.1.n.1.d.28. Roſella verb. impedimẽtum,impediment.11.n. vlt. Supplementũ ſummę Piſanę verb.ordo.1.n.penul. Sylu. matrimonium.8.q.12.dicto.2.Nauar.ſumma.c.22.n.52.Alexand.Carrer.lib.3.de ſpõſalibus.cap.3.Greg.Lopez.l.32.verb.ha tal virtud tit.6.p.1.Anton. Cuc.lib.5. inſtitutionum maiorum tit. 12. nu. 219.Gutierrez lib.2.q.canon.c.7. num.2.Stunica de voto q.6.n.119.Barboſa rubrica.ff.ſolut. mat.2. p.nu. 100.& 101. Spino ſpeculo teſtament. gloſ.12.principali nu.2.verſ. votum autem ſolemne.

11 Quid autem dicendum ſit, ſi initiatus ſacris ignorarit votum ordini annexum, non conſtat inter Doctores.Id autem abſq; cõtrouerſia eſt, ita initiatum teneri omnino continere, nec poſſe validè matrimonium inire. Quòd potuerit Eccleſia iuſtiſsimam de cœlibatu clericorũ legem indicere, atq; ea ligare quoſcunq; in poſterum promouẽdos, ſiue ſcierint,ſiue ignorarint prędictã legem.Sicut quantumuis ignorent, tenentur officium recitare, & alias ſtatus leges obſeruare. Eò vel maximè quòd lex ſemel legitimè promulgata omnes ligat, quantũuis ignorantes:quanuis hi à culpa tranſgreſſionis legis excuſentur,vt tradunt Doctores in materia de legibus. Eam autem eſſe Eccleſię mentem in lege cœlibatus cõſtat ex vſu Eccleſię.Et ita docent Ioann. And. c. Ioann.n.17.q.2.& ibi Anton.n. 13. Anchar.n.8.q.2.Card.n.6.q.1.Immol. nu.15. de cleric.coniug. gloſſ.c. presbyter. verb. ignorantię.d.28. & conſentiũt omnes Doctores ſtatim allegandi: in ſola enim ratione obligandi diſcrepant. Hoc autem intelligendum eſt,quando quiſpiam nouit ſe ad ſacrum ordinem promoueri, at continẽtię votum annexũ ignorauit. Sit enim penitùs ignorauit ſe ordinem ſacrum recipere,non cogetur in foro conſcientię continentiam ſeruare.Quòd non ſuſceperit ſacrum ordinem voluntariè: eò quòd fuerit ordinatus ignorans prorſus, quid in eo fieret,vt diſp. 30.dicemus idẽ de infante ordinato, propter eandem rationem. At in foro externo cogetur vtiq;. Quia ea ignorantia non pręſumetur probabilis.Ita docet Azor. lib.13. inſtitutionum moralium.c. 14.q. 10. Diſcrepant verò Doctores,num ſcienter ordinatus ignorans prorſus votum annexũ ordini,teneatur continere ex voto,an ex ſola Eccleſię conſtitutione. Et quidem ex hac ſola teneri, affirmant Vincentius, & Goffred. c. cùm olim, de cleric. coniug. quos refert dicens eorum opinionem eſſe veriſſimam,Abb.ibi.n.4.Monaldus, & Roſella nu.pręcedenti allegati.Idem Sylu.quando ignorantia fuit inuincibilis,ſecus ſi talis,vt non excuſarit,matrimonium.8. q.12.dicto 2.Et Nauar.ſum.hiſpana.c.25.n.108.ait teneri tunc ſaltem ex Eccleſię conſtitutione. Quod inde probatur,quia votũ eſt lex priuata, quam quiſpiam ſponte ſua ſibi imponit.At ignorans prorſus votum caret voluntate vouendi, ac per conſequens imponendi ſibi eam legem. Alijs autem placet teneri tunc etiam ex voto. Quia eò ipſò ꝙ ſciens, & volens eſt ſacris ordinibus intia-

tus, licèt ignorarit votum annecti, emiſit tacitè votum. Qui enim vnum ſciens, & prudens efficit, & vult, facit, & vult ſubinde ei annexa. Vt ſcienter ſuſcipiens prætoris munus, voluntariè quoque ſuſcipit onera officio annexa, licèt ea ignorarit: eò vel maximè, quòd aſcendens ad ordinē ſacrum ſemper nouit ſe alium ſtatum eligere, & aſcribi militię clericorum, & accedit intentione ſaltē virtuali faciendi quod vult Eccleſia, atque ita conſequenter vouendi, vt Eccleſia præſcribit, licèt ipſe ignoret, quid Eccleſia velit, ac præcipiat. Et hoc mihi valde placet. Et ita ſuſtinent ex voto teneri Cardinalis d.c. cùm olim, in fine. Et ibi Immola nu. 7. Azor lib. 13. inſtitutionum moralium, c. 14. q. 10.

12 Similis difficultas eſt de promoto ad ſacros ordines, qui in promotione habuit expreſſam intentionem minimè ſe ad continentiam obligandi. Hunc enim adhùc ad eam obligari, ſaltem ex Eccleſiæ conſtitutione, quæ omnes ſpōte promotos, velint, nolint, obligat, nemo eſt, qui dubitet: nec in dubium id vertere poſsit. Atq; hūc peccare mortaliter, ſi habuit intentionem non promittendi verè, & ex animo continentiam, rectè docuit Palacios. 4. d. 37. diſput. vnic. concl. 3. fine. Quòd in re grauiſsima contraueniat ſtatuto Eccleſiæ. In dubium autem vertitur, an tunc teneatur ex voto. Id enim aliqui affirmant. Quòd id votum annexum ſit ex Eccleſiæ conſtitutione ordini independenter ab ordinati voluntate. Sicut & onus recitandi officium Canonicum. Ita affirmant Ricardus. 4. d. 37. ar. 1. q. 1. corpore. Palud. 4. d. 38. q. 2. ar. vnico, nu. 12. Nauar. ſumma. c. 22. n. 52. Palacios 4. d. 37. diſp. vnic. concl. 3. fine. Alij dicunt idem, quia licèt proteſtetur ſe nolle continere, at accedens poſteà ad ordines, videtur ab ea voluntate per proteſtationē declarata recedere. Sic Dominicus. c. Diaconi, ad finem. d. 28. Idem ſignificat Toledo libr. 7. Summæ, capit. 8. numer. 3. reddit enim hanc rationem: quia illa nolitio eſt ſola quædam noleitas, at abſolutè vult, quando vult ordinem. Aliam rationē tradit Turrecrem. c. 1. n. 1. d. 28. quia habens intentionem non vouendi, adeò violenter præſumitur vouiſſe, vt nulla probatio admittatur in contrarium. Sed hæc ad forum contentioſum pertinent, in quo præſumitur receſſus ab ea contrariæ voluntatis proteſtatione: nec admittitur oppoſiti animi probatio. Ideò mihi placet, vbi verè adfuit animus non obligandi ſe ad continentiā, ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, teneri ſic promotum ad continentiam ſeruandam, & abſtinendum à matrimonio. Quòd ad cætera precepta, & onera ordinibus annexa, poſsit Eccleſia ſponte ordinatos, velint, nolint, aſtringere: ſecus de voto: id enim eius naturæ prorſus repugnat: vtpote quæ eſt, eſſe legem priuatam, quam quiſpiam ſibimet voluntariè imponit. Et ideò hanc partem tuentur Palud. 4. d. 37. q. 1. ar. 2. num. 14. Supplementum Gabrielis. 4. d. 38. q. vnica, ar. 2. ad finem, verſ. hinc colligi poteſt, & d. 37. q. vnica, ar. 2. poſt. 2. cōcluſionem. D. Antoninus. 3. p. tit. 1. c. 8. poſt. 2. concluſionem. Sylu. matrimonium 8. q. 12. dicto. 2. Durandus. 4. d. 37. q. 1. fine corporis. Arboreus lib. 5. Theoſophiæ, c. 7. paulò poſt princip. verſ. rurſus obijciet. Baſſolis. 4. d. 47. q. vnic. ar. 1. Nicolaus de Nijſſa ſuper 4. ſententiarum, tractatu. 6. p. 2. 2. de matrim. q. 7. paulò poſt princip. Antonius Cucus lib. 5. inſtitutionum maiorum, tit. 12. num. 220. Palacios. 4. d. 37. diſp. vna, col. 2. verſ. quòd verò ſint. Angles floribus. 1. p. vbi de matrim. q. 11. de impedimento ordinis, ar. 1. diffic. 4.

De promoto verò inualidè ad ſacros ordines, qui verè promoueri voluit, at ordo fuit irritus deficiente aliquo ſubſtantialiter requiſito: aut quia ordinans ſe finxit Epiſcopum, an validè poſsit inire matrimonium, dubitauit Damaſcenus in q. ſua. 2. tit. qui clerici, vel vou. Quòd ſponſalia etiam nulla ex alio defectu, quàm conſenſus, pariant publicę honeſtatis impedimētum. c. vnico, de ſponſal. in. 6. at in eā partem inclinauit, vt matrimonium valeat. Quæ veriſsima eſt, vt ſtatim probabo: & ita docent gloſ. c. vnico, verb. approbatis, de voto, in. 6. & ibi Archid. n. 3. Ioan. And. ad finem, Dominicus. n. 14. Palud. 4. d. 38. q. 2. ar. vnico, n. 10. & 11. Et ibi ſupplemētum Gabrielis. q. vnica, ar. 2. verſ. ſecunda diuiſio voti. Abul. c. 30. Num. q. 61. fine. Brunellus de ſponſalib. concluſ. 31. nu. 7. Barboſa rubr. ff. ſoluto matrim. 2. p. n. 100. Diſcordant autem prædicti Doctores, an hic ſaltem voto ſimplici teneatur ad caſtitatem, ac proinde peccet matrimonium iniens. Quod affirmant Ioannes Andreas, Dominicus, ac Brunellus ibidem. Ducuntur, quia profitens in religione, quā falsò exiſtimabat approbatā, vel aliàs inualidē, tenetur ob ſuam profitendi intentionem voto ſimplici caſtitatis, c. quidam, & c. pla- 13

cet, de conuerſ. coniug. ſimiliter ergo inualidè ordinatus tenebitur ob intentionē validum ordinem ſuſcipiendi, ſimplici caſtitatis voto. Et confirmatur, quia procedit in hoc caſu ratio deciſionis illorū textuum, nimirum, vt actus, qui non valet, eo modo, quo fit, valeat modo, quo valere poteſt: iuxta textum. c. vnico. §. porro, de deſponſat. impub. in. 6. Cæterùm verius eſt, hunc ad nil prorſus obligari. Quod docent Palud. Supplementum Gabrielis, Barboſa eiſdem locis. Qui bene tradit diſparitatis rationem inter inualidè profitentē, & inualidè ordinatum. Quia cùm caſtitas ſit eſſentialiter annexa ſtatui religioſo (vt probaui diſput. 25. numer. 8.) non verò ordini ſacro (vt dixi hac diſput. numer. 5.) ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, tanquam acceſſoria ſtatui, & tacitè in eius ſuſceptione promiſſa: hinc eſt, vt profitens in religione emittat per ſe, & principaliter, votum caſtitatis: quamuis ergo non valeat vt ſolemne propter aliquem acceptationis defectum, valebit eo modo, quo valere poteſt, nempe, vt ſimplex. At ſuſcipiens ordinem ſacrum nō emittit per ſe, & principaliter, votum caſtitatis, ſed acceſſoriè, & in conſequentiam ſtatus, ob Eccleſiæ conſtitutionem. Quādo igitur principale non valuit, id, quod venit in conſequentiam, nullum effectū producere poteſt. l. 3. §. finali. ff. de ſerui. ruſti. præd. l. cùm principalis. ff. de regulis iuris.

14 Ex dictis forſan quiſpiam inferet, ordinatum ſacris ordinibus ſponte, ac conſciū voti caſtitatis annexi, duplici obligatione aſtringi ad caſtitatem, altera ex voto, altera verò ex Eccleſiæ conſtitutione. Si enim ea duplex obligatio non concurreret, vbi ceſſaret obligatio voti, nempe, in volenti non vouere, nulla obligatio ſupereſſet. Quod eſt contra omnes, & contra dicta, numer. 11. & 12. Rurſus inde inferet, conſtitutum in ſacris fornicantem, duplici malitia vltra ſimplicem fornicationem infici, & ea quidem ſpecie diuerſa, vt iudex extrahens iniuſtè reum ab Eccleſia, aſtrictus voto non extrahendi, admittet duplex ſacrilegium, alterum, contra Eccleſiæ prçceptum iubentis ob loci ſacri reuerētiam, ne extrahat: alterum autem, contra votum id interdicens, ob fidem traditam præſtandam Deo. Similiter ergo peccabit ſic promotus contra voti fidem, ac contra Eccleſiæ prçceptum continentiam indicens ob reuerentiam ordinis. Sed id omninò negandum eſt. Idq; communis omnium conceptio atteſtatur. Nullus enim aſſerit eam duplicem malitiam: imò (vt n. 30. videbimus,) ſacerdos fornicans, ſi profeſſus ſit, ſat fatebitur dicens ſe eſſe profeſſum, tacito ſacerdotio. Quod verū habere non poſſet, ſi in ſacerdote eſſet alia malitia, vltra contra votū, quod eſt in profeſſo. Quare dicendū eſt præceptum Eccleſiæ non eſſe immediatè de continentia à ſacerdotibus obſeruanda, ſed de voto caſtitatis emittendo, quod vbi emiſſum fuerit, obligabit, ac ab illo cōſurget ea continentiæ lex: at dicetur mediatè procedere ex Eccleſię cōſtitutione, nō quaſi Eccleſia nouū continentiæ præceptū ſtatuat (vt contingit in exēplo iudicis allato) ſed quia Eccleſia præcepit id votum emitti (vt dixi nu. 10.) Et optimè docet Metin. lib. 5. de ſacrorū hominū continentia. c. 3. Quare hoc ſignificātes dixerunt, Vincentius, Goffredus, Abbas, Roſella, Syl. n. 11. allegati, conſciū voti annexi dū ad ordines ſacros promouetur, teneri ex voto ad caſtitatē: ignarū autē ignorātia probabili, ex Eccleſiæ præcepto. Et ſimiliter Arbor. nu. 12. relatus dixit non habentē contrariā voluntatem teneri ex voto: habentem autem ex Eccleſiæ lege. Quaſi Eccleſia directè voluerit ſolùm ad votum emittendū aſtringere, & eo aſtrictum noluerit ampliùs ligare: quia tamen in facultate ordinati ſitum erat fingere votum, nec Eccleſia poteſt aliquem voto obligare contra eius voluntatem: ne in foro conſcientiæ ordinatus ille, qui noluit vouere: ab obligatione ſpeciali continentiæ annexa ordini liber maneret, inſtar fictè profeſsi, illum ſua ſpeciali lege Eccleſia aſtrinxit. Nec diuerſus finis allegatus voti, & prædictæ conſtitutionis, duplicem arguit malitiam, vt num. 30. declarabimus.

Ad argumenta. n. 9. propoſita, conſtat ex dictis, nu. 10. 11. & 12. vbi explicuimus qualiter Eccleſia poſsit cogere ad id votum emittendum, illudq; ſit voluntarium. Et an nolens, vel ignorans voto ligetur. 15

SVMMARIVM.

AN votum ſolemne ordinis conſiſtat in vera traditione, & ſit per ſe, & ex natura ſua ſolemne? Refertur opinio, nu. 16.

Proponitur ſententia Authoris, num. 17. & ibi enodatur c. vnicum de voto, in. 6.

Solemne ordinis differt ſpecie à ſolemni profeſſionis, non autem à voto ſimplici, nec ex natura rei, nu. 18.

Initiatus ordine ſacro fornicans, eſt reus ſacrilegij, ac tenetur eam circumſtantiam fateri, num. 19.

Reijcitur ſententia aſſerens Monachũ, aut clericum ordinis ſacri fornicantes, nõ eſſe reos voti violati, nu. 20.

Refutantur dicentes concubitum ſacris initiati, eſſe ſimplicem fornicationem, nu. 21.

An qui ſimul ſacerdos, & profeſsus eſt, ſi fornicetur, ſatisfaciat confitens ſe ſacerdotem, aut profeſsum eſſe. Refertur triplex ſententia, nu. 22. 23 24.

Vota, aut iuramenta multiplicata non conſtituunt nouam malitiam neceſſariò fatendã in fractione, nu. 25.

Secus ſi ſit iuramentum, & votum de eadem re, nu. 26.

Profeſſus fornicans non ſatisfacit, ſi ſe votum emiſiſſe dicat, nu. 27.

Nec ſi ſit ſimul ſacerdos, & dicat ſe eſſe ſacerdotem, nu. 28.

Nec ſi dicat ſe feciſſe votum ſolemne, ſed debet ſe profeſsum dicere, nu. 29.

Satisfacit dicens ſe eſse ſacerdotio tacito profeſſum, nu. 30.

Sacerdos non profeſſus fornicans, ſatisfacit dicens ſe eſſe ordinis ſacri, nu. 31.

Imò ſat eſt dicere ſe contra votum deliquiſſe, nu. 3 .

Nec Epiſcopus, aut prælatus religionis fornicans, tenetur ſecluſo ſcandalo circumſtantiã dignitatis fateri, nu. 32.

Si religioſus Societatis Ieſu nondum ſolemniter profeſsus fornicetur, ſatis fatetur dicendo ſe peccaſſe contra votum caſtitatis: nec peccata religioſi votis non aduerſa continẽt circumſtantiam neceſſariò fatendam, nu. 34.

Qui fecit expreſſè votum caſtitatis, & eſt ſacerdos, & emiſit vota ſimplicia biennij in Societate Ieſu, ſatisfacit explicans ſe votũ caſtitatis violaſse, nu. 38.

Quid, ſi profeſsus, vel ſacerdos, vel habens votũ caſtitatis, promiſerit ſe non habiturum molliciem? nu. 36.

Si profeſsus, aut ſacris initiatus, aut alio voto caſtitatis ligatus, iuret ſe ſeruaturum caſtitatem, tenetur hanc circumſtantiam iuramẽti fateri, nu. 37.

Probabile eſt profeſſum ſacerdotem fornicantem ſatisfacere dicendo ſe emiſiſſe votum caſtitatis, nu. 38.

Soluuntur argumenta, nu. 39.

1 QVæſtio vltima. An votum ſolemne ordinis ſacri conſiſtat in vera, & perfecta traditione, per quam eo ordine initiatus ſe dominio ſui corporis abdicat, & illud transfert in Deum, inſtar voti ſolemnis profeſſorum, ſitque per ſe, & ex natura ſua ſolemne? Fortiter enim id ita eſſe ſuadet textus cap. vnico, de voto, in. 6. vbi Eccleſia illud votum vt ſolemne admittit, & æquiparat illud voto ſolemni profeſsionis. Idẽque habetur in extrauag. antiquæ Ioannis 22. de voto. Quòd ſi dicas, expreſſè non appellari ſolemne ſimpliciter, ſed quoad effectum dirimendi matrimonium. Cùm eodem prorſus modo loquatur vterq; textus de voto ſolemni profeſsionis, idem de eo dicendum erit: atque ita concludetur aut in neutro, aut in vtroque voto, eſſe veram traditionem. Et confirmatur, quia non eſt ratio cogens, cur negemus eam traditionem in ordine, quam concedimus in profeſsione religionis, licèt non quo ad omnia, ad quæ ſe tradit religioſus, quia promotus ad ordines non vouet paupertatem, at quo ad caſtitatem ſeruandam, quam vterq; ſolemniter vouet. Cùm vterque ſtatus ſit fixus, & immobilis omninò: ita vt contra geſta ſint prorſus irrita. Secundò quia ordinatus ſe dedicat diuino obſequio ad caſtitatem ſeruádam, & mutat ſtatum: at Epiſcopus nomine Eccleſię acceptat. Et ſi dicas nullá eſſe formá traditionis, nec acceptationis. Obſtat, quia idem contingit in profeſſione tacita: votum autẽ hoc ſolẽne eſt tacitũ. Tertiò, quia Greg. XIII. in bulla quæ incipit, Aſcendẽte Domino, appellat vota, quæ religioſi Societatis Ieſu emittunt finito nouitiatus biennio ſimplicia. Cũ tamen per illa ſtatuat dirimi ſubſequens matrimonium. Non igitur ſufficeret per votũ ſacro ordini annexũ dirimi ſequẽs matrimoniũ, vt appellari deberet ſolemne, ſi in eo traditio non eſſet. Et cõfirmatur, quia cũ de voti ſolẽnis eſſentia ſit perfecta traditio, (vt diximus diſp. 25. n. 7.) ſi in hoc voto traditio perfecta non reperiatur, neutiquam erit ſolemne. Quod eſt contra. dict. cap. vnicum: & contra. d. extrauag. antiquæ. Et ita in eo voto eſſe traditionem, per quã transfertur dominium corporis in Deum, affirmant Ioan. Andr. c. vnico, de voto in. 6. nu. 1. & ibi Archid. n. 1. Anchar. n. 2. notabili. 3 Dominicus. n. 10. Card. clem. vnic. n. 19. q. 24. de conſang. Metina lib. 5. de ſacrorũ hominũ continentia. c. 8. aſſeritq; tã verè ſolẽne eſſe, ac tã veram traditionẽ cõtinere, ac profeſsionẽ, & tantùm differre quòd ſit traditio ad pauciora. Et D. Th. 4. d. 38. q. 1. ar. 2. quæſtiuncul. 3. corpore, & ibi Ricard.

art. 7. quæſt. 2. corpore Brunellus de ſponſalibus, concl. 31. numer. 2. Celaia. 4. d. 37. quęſt. 4. Bęia in ſua Summa caſu. 49. ſtatim in principio, Matienço lib. 5. Recop. tit. 1. rubric. gloſſ. 1. numer. 157. Barboſa rubr. ff. ſoluto matrimon. 2. part. num. 90. fine, & num. 98. 99. Graffis. 2. part. deciſionum lib. 2. cap. 12. num. 40. æquè ponunt traditionem in ordine ſacro, ac in profeſsione. Faciunt etiam docentes votum ſolemne profeſsionis, & ordinis eſſe eiuſdem ſpeciei: quos. n. 18. referam.

17 Alij Doctores, quos diſput. 25. numer. 7. retulimus, dicentes eſſentiam voti ſolẽnis conſiſtere in ea traditione, per quam dominium corporum transfertur iure naturæ, dicerent id votum non eſſe ſimpliciter per ſe ſolemne, quia non reperitur in eo perfecta traditio, qua transferatur dominium corporis in Deum, ſed eſſe per ſe votum ſimplex caſtitatis, dici autẽ per accidens, & extrinſece ſolemne, quòd habeat effectum potiſsimum ex eccleſiaſtica conſtitutione annexum voto ſolemni, qui eſt ſubſequens matrimonium dirimere. Nec hic loquendi modus alienus eſt à vero loquendi modo, quo vniuerſi Theologi loquuntur. Nam omnes illi eam vim ſacramentis, ſaltem pœnitentiæ, & Baptiſmi tribuunt, vt ex attrito efficiant contritum: cùm tamen ſubſtantia doloris, & obiectum, eadem perſeuerent, & dolor ille, qui ante ſuſceptum ſacramentũ erat propter pœnas inferni, non tranſit in dolorem propter Deum, ac proinde per ſe, & eſſentialiter dolor ille prior eſt attritionis per ſuſceptionem ſacramenti: appellatur verò per accidens, & extrinſecè dolor contritionis, quòd virtute ſacramenti habeat eundem effectum, qui competit contritioni abſque actuali ſacramenti receptione, cùm ſolo propoſito recipiendi, qui eſt reſtituere peccatorem ad gratiam. Sic ergo votum illud annexum ordini ſacro, eſt per ſe, & eſſentialiter ſimplex: at dicitur ſolemne extrinſecè, & per accidens, quia habet eundem effectum voti ſolemnis. Et ideò cautè cap. vnico, de voto, in. 6. non appellatur ſolemne abſolutè, & ſimpliciter, ſed quoad effectum dirimendi matrimonium: & quoad hoc æquiparatur voto profeſsionis: & ſicut non obſtantante ea æquiparatione, eſt differentia in modo dirimendi, quòd votum ſolemne (inquiunt) dirimat ex natura ſua, & iure naturali. (Vt probauimus diſput. præcedenti, num. 4.) at votum ordinis ſola conſtitutione Eccleſiæ. (Vt dicemus diſput. ſequenti, numer. 11.) ita eſt differentia in modo, quo vtrũque eſt ſolemne. Sed dices, eam differentiam non colligi ex eo textu. Id fatebuntur Doctores huius ſententiæ, ſicut neq; colligitur diſcrimen modi irritandi, at colligitur ex ratione & authorum doctrina. Et Caietan. eſt expreſſè huius ſententię tomo. 1. opuſc. tract. 27. de diſpenſatione matrimonij in Occidentali Eccleſia, quæſtio. vnica. §. videtur autem mihi: vbi ait, id votum non eſſe ſolemne per ſe, ſicut votum profeſſorum, ſed per accidens ſolemne. Quia per accidens coniungitur ſacro ordini: nec ordinatus exhibet ſe ipſum ad caſtitatem, ſed ad ordinum miniſterium. Vbi expreſſè vocat ſolemne per accidens, & dicit, in voto caſtitatis non eſſe traditionem. Et ferè expreſſè idem tenet Sotus libr. 7. de iuſt. quæſtion. 5. artic. 3. ad. 2. verſic. ſed inferes, vbi ait, votum hoc non eſſe ex iure diuino ſolemne, ſed ex iure poſitiuo, hoc eſt, ſolo ſtatuto Eccleſiæ reddens perſonas inhabiles ad matrimoniũ. Vbi clarè totam huius voti ſolemnitatem in eo ſitam eſſe dicit, quòd ex Eccleſiæ ſtatuto dirimat matrimonium ſubſequẽs. Et eodem lib. 7. quæſtion. 2. artic. 5. colum. 6. paulò ante verſic. igitur ſi opinio, ait, ſi votum ſolemne profeſsionis ſolo iure humano dirimeret ſubſequentem matrimonij contractum, ablato eo ſtatuto, id votum manere per ſe ſimplex. Cũ igitur ipſe ſentiat, votum ſolemne ordinis ſolo iure humano dirimere, cenſet apertè id votũ nullam aliam rationem voti ſolemnis habere præter illam extrinſecam, & per accidens ſibi coniunctã ſolo Eccleſiæ ſtatuto dirimendi matrimonium. Idem non obſcurè ſentiunt Doctores, qui traditionem voti ſolemnis in eo conſtituunt, quòd per ordinem conſtituatur clericus ſub Epiſcopi poteſtate ad cultum Dei, & ad diuina officia, ac ideò ſit aliqualis traditio, cui non repugnat matrimonium, ſed per accidens coniungitur caſtitas. Sic explicant Deza 4. diſt. 33. quæſt. vnica, artic. 3. notabili. 4. Valentia in ſuis controuer. lib. vno de cœlibato cap. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 53. artic. 3. dubio. 1. concluſ. 1. in prima eius probatione, & in ſolutione ad. 1. vnde in ſolutione ad. 2. concludit, quanuis cap. vnico de voto, in 6. æquiparentur votum profeſsionis, & ordinis ſacri, at reuera eſſe maximam diuerſitatẽ in-

ter vtrumque votum, quæ colligitur ex ipſa rei natura. Et ipſemet Valentia eodem cap.2.paulò poſt principium, & in ſua.4. part. tractat. de Sacramento ordinis, diſput.9.quæſtio.5. puncto.5.§.1.paulò poſt principium, dicit votum hoc appellari ſolemne, quòd inſtar voti ſolemnis dirimat matrimonium ex Eccleſiæ ſtatuto. Et idē Sotus lib.7.de iuſt. quæſtion. 2.artic.5.colum.6. verſi. igitur ſi opinio: & Aragon.2.2.quæſt.88.artic.11.column.11.§. ſecundò eſt aduertendum, explicant eam traditionem reperiri in ordine, quæ eſt ad diuiuinum cultum. Atque ita concludit Aragon notabili.3. eſſe latiſsimum diſcrimen inter traditionem, quæ eſt in ordinis ſacri ſuſceptione, & in profeſsione. Conſtat ergo ex his omnibus Doctoribus, non eſſe veram traditionem, per quam transferatur dominium corporis in Deum, ad caſtitatem ſeruandam: vt in religionis profeſsione: ſed aliqualem tantùm, & non ad caſtitatem, ſed ad miniſteria diuini cultus: ac per accidens adiungi votum illud caſtitatis. Erit igitur id votum, ſimplex ex natura ſua, & per ſe: at extrinſecè, ac per accidens ſolemne, quòd voti ſolemnis effectum habeat. Deinde, quia vniuerſi ferè Doctores, vno vel alteto excepto, aſſerunt votum ſolemne ordinis dirimere ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ matrimoniū ſubſequens (vt diſput. ſequenti videbimus) eſtq; ſententia receptiſsima. Cùm tamen plerique ex illis dicant id competere iure naturali voto profeſsionis, quòd ſit traditio, per quam transfertur dominium corporis in Deum (vt dixi diſp. præcedenti num. 4.) Sentiunt ergo eam traditionem non reperiri in voto ſolemni caſtitatis ordini annexo: aliàs profectò eodem iure naturali dirimeret matrimonium. Quamuis enim id votum ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto annecteretur ordini, at ſemel annexum, ſi eſſet per ſe ſolemne, cum verá traditione, inſtar voti profeſſorum, dirimeret vtiq; iure naturali ſubſequens matrimonium. Sicut non obſtante ennexione ſolius iuris Eccleſiaſtici, obligat inſtar voti ſimplicis, iure naturæ, & diuino, ac impedit eodem iure matrimonium iniri. Adde D. Thomam. 2.2. q.88.art.11. & multos alios abſque controuerſia fateri, poſſe Pontificem diſpenſare in voto ſolemni ordinis ſacri, cùm tamen poſſe in voto ſolemni profeſsionis negēt. Cuius differentiæ alia ratio eſſe nequit, niſi quòd in voto ordinis ſacri non reperiatur perfecta traditio, ſecus in voto profeſſi. Tandem ratio hnius differentiæ ea eſt, petita ex rerum natura: vbi enim ius humanum non diſponit, ad ipſas rerum naturas eſt confugiendum. Cum igitur ex nullo textu conſtet differentia inter ambo vota. Imò æquiparentur cap.vnic.de voto, in 6. ex ipſa vtriuſque ſtatus natura, differentia hæc petenda eſt. Status ordinis ſacri non habet ſuapte natura caſtitatem adiūctam, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto (vt numer.5. probauim⁹) nec promotus ad ſacros ſuapte natura renunciat nuptijs, nec moritur ſeculo, quaſi ad aliam ſe tranferens vitam, & ita non eſt cur dicamus illum alienationem ſui facere: ſed tantùm ob miniſterij ſacri decentiam adiungit Eccleſia votum caſtitatis, ſtatuens vt per illud inſtar voti ſolemnis, dirimeretur matrimonium ſubſequens. Quæ omnia ſecus ſe habent in ſtatu religionis, qui continet ſuapte natura caſtitatem, & eſt perfecta mors ſpiritualis, vt dixi diſp.25.num.8. Cæterum retenta noſtra ſententia, qua aſſerimus, non differe votum ſimplex, & ſolemne per ſolam traditionem (cum ea quoq; reperiatur in aliquibus votis ſimplicibus, vt ſupra dictum eſt) ſed ex ſolo ſtatuto Eccleſię, dicendum eſt, votum ordini ſacro annexum per ſe, & ſimpliciter eſſe ſolēne inſtar voti profeſſorū, atq; ita Bonifacius. VIII. eo cap. vnico, vtrumque votum æquiparat, dicitq; eſſe ſolemne.

Hinc primò deducitur benè dixiſſe Cordubam ſumma quæſtio.3. Ludouicum Lopez.1.part.inſtruct.cap.29.verſiculo, præterea huic affinis eſt. Votū ſolemne ordinis, & profeſsionis non differre ſpecie in genere moris, neque eſt audiendus Manuel.1.tomo ſummæ.2.editione capit.53. numero.5. dicens vtrumque votum differre ſpecie à voto ſimplici. Sed dicendum eſt, neque hæc duo vota differre inter ſe ſpecie, neque etiam à voto ſimplici, ſed per ſolam Eccleſię conſtitutionem decernentis, hæc duo vota dirimere matrimonium, non autem votum ſimplex. 18

Secundò deducitur pro materia confeſsionis, quid in ea quæſtione dicendum ſit. An profeſſus in ſacris conſtitutus fornicans, teneatur vtriuſque voti circumſtātiam fateri? Et in primis, tanquam res certa, ſupponendum eſt, non tantùm profeſſum, ſed etiam ſolo ordine ſacro initiatū, fornicantem, eſſe reum ſacrilegij: ac proinde teneri fateri illam circunſtantiam voti 19

annexi ordinì ſacro: tanquam quæ ſpeciem mutet. Conſtat, quia vltra fornicationem virtuti temperantiæ aduerſam, delinquit in religionem violans caſtitatis votum. Quòd ſi ſentiat quiſpiam obligationem caſtitatis annexam ordini ſacro, non eſſe ex voto, ſed ex mera Eccleſiæ conſtitutione: vt ſentiunt Authores numero.9. relati: adhuc tenetur dicere ſacrilegam eſſe eam fornicationē. Quia cùm Eccleſia caſtitatem præceperit clericis, ob reuerentiam miniſteriorum ſacrorum, quibus vacant: id præceptum ad religionem pertinet: ac ſubinde eius violatio ſacrilega eſt. Quòd ſi quis velit dicere, id præceptum eſſe tantùm de abſtinendo à matrimonio, reprobatum eſt numer.3. Idem etiam conſtat ex Concilio Toletano.2. quod refertur capit. de his. d. 28. vbi expreſſè clericos fornicantes, tanquam ſacrilegij reos, ab Eccleſia reijciendos eſſe decernitur. Et ita ſentiunt, Abulenſis capit. 5. Matth. quæſtio. 204. columna. 2. verſic. de primo patet. Clictouæus de vita, & moribus ſacerdotum capit. 21. paulò poſt principium. Nauar. ſumma Hiſpana capit. 25. numer.108. Celaia. 4. diſt. 37. quæſtion. 3. Sotus lib. 7. de iuſt. quæſtion. 4. articul. 2. columna 4. verſicul. de tertia propoſitione. Gutierrez quæſtion.canon.lib.2.cap.7.numer.3. Aragon. 2. 2. quæſtion.88.articul.11.columna.2.§.his conſtitutis. Toledo lib. 4. ſummæ capit. 17. numero. 21. Azor lib. 13. inſtitutionum moralium capit. 12. q. 6. ad finem. Et omnes Doctores numero. 22. & 23. allegandi hoc ſupponunt, & ſolum diſputant, an qui ſimul ſacerdos, & profeſſus eſt, fornicans teneatur ſacri ordinis, & profeſsionis circunſtantiam fateri, an ſolam alteram. Idem docet Stunica de voto.q.4.nu.28.

20 Quare reijcienda prorſus eſt ea ſententia, quam amplectuntur Gerſon regulis moralibus, tractatu de matrimonio alphabeto. 25. litera.I. Supplementum Gabrielis.4.diſtintion. 24.quæſtion. vnica, artic. 3. poſt dubium. 3. verſic. hinc oritur dubium: & diſtin. 38. quæſtion. 1. articulo. 3.§. circa nunc dicta, poſt.3.dubium, concluſion.5. Tabiena votum.1.numero.3. notabili.2. aſſerentes fornicationem ſacerdotis, aut monachi non addere circunſtantiam ſpecie diuerſam à ſimplici fornicatione, ac neceſſariò fatendam. Quòd votum non cadat propriè ſupra materiam alio præcepto debitā, ſed ſit tunc quaſi noua confirmatio, & ratificatio obligationis præcepti illius, ac proinde nouam non addat, ſicut contingit in eo, qui vota de eadem materia repetit: quorum tranſgreſſionem vni malitiæ obnoxiam eſſe dicemus. n.25. Sed hanc ſententiam, erroneam & longè à veritate alienam, & communi ſentiendi modo, appellat Caſtro lib. 1. de lege pœnali capit. 10. columna. 5. Quia cùm altera obligatio ſit ex lege naturali diuina, pertinens ad temperantiæ virtutem, altera autem ſit ex voto, pertinens ad religionis virtutem, qua ſtrictiori vinculo ſe obſtrinxit vouens, ad caſtitatem, quam iure naturali ſeruare tenebatur, & ad non ducēdam vxorem, dicendum eſt, neceſſariò duas eſſe obligationes ſpecie diuerſas, ac proinde in tranſgreſsione duplicem reperiri malitiam.

Similiter non eſt admittenda ſententia aliorum dicentium concubitum clerici ſacris initiati, eſſe ſimplicem fornicationem. Ducuntur per caput. quia circa, de bigamis, vbi loquens textus de presbyteris concubinarijs, ſic ait. *Cum eis tanquam ſimplici fornicatione notatis.* Et capit. preſbyter. diſt.28. ibi. *Presbyter ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit.* Sic docent Cardinalis clemen. ad noſtrum, verſic. 7. num. 3. de hæret. & ibi Immola numero vltimo. Idem Immola cap. vt clericor. numero. 8. verſicul. aduerte tamen, de vita, & honeſt. cleric. Pelin. capit. at ſi clerici, in principio, numero. 14. verſicul. vtrum autem: & ibi Decius in noua editione, numero.229. verſic. non obſtant, de iudicijs. Bermondus de publicis concubinarijs. §. & alios non publicos concubinarios, numero. 12. Paulus Grillan. de pœnis omnifariam coitus, quęſtion. vltima numero. 2. Iulius Clar. lib. 5. receptarum §. fornicatio, numero.18. & .§. inceſtus, numero.1. verſic. ſed nunquid committitur. Boſsius practica, titul. de coitu damnato. numero.10. &. 16. Velaſquez de Auendaño. l.9. Taur. in gloſſ. 10. numero. 10. Gutierrez quæſtion. canon. lib. 2. capit. 7. numero. 44. At ſententia hæc confunditur ex dictis, numero.19. Et ad textus, quibus innititur, reſpondet bene Azor lib. 13. inſtitutionum moralium. cap.13. quæſt. 6. ad finem, id ſolùm velle eos textus, ne clerici fornicatio ſit appellanda adulterium, ſtuprum, inceſtusve. Quòd nomen non pauci Iuriſperiti illi tribuunt. 21

22 Potiſsima autem difficultas eſt, an ſacerdos, qui ſimul profeſſus eſt, fornicans, teneatur vtramq; circunſtantiam fateri. An potiùs ſatisfaciat alteram explicans, aut ſe voto caſtitatis ligatum eſſe? Quidam aiunt minimè teneri vtramque circunſtantiam fateri, ſed ſatisfacere dicendo ſe ſacro ordine initiatum eſſe, explicando. Quòd vota ordinis ſacri, & profeſsionis non diſtinguantur ſpecie, nec alterum notabilem deformitatem addat. Sic ſentiunt Corduba ſumma quæſtion. 3. Ouandus. 4. d. 25. quæſt. vnica, poſt. 9. propoſitionem, corollario. 2. Ludouic. Lopez. 1. par. inſtruct. c. 29. column. 9. §. præterea huic affinis eſt. Manuel. 1. tomo ſummæ. 2. edition. cap. 53. nu. 5. Citatur ab his Nauarrus pro ſua opinione, ſumma Hiſpana cap. 28. in additione ad num. 11. cap. 6. ſed ibi ſatis æquiuocè loquitur. Nam quærens, an religioſus ſacerdos fornicans teneatur fateri ſe eſſe religioſum, an ſufficiat fateri ſe eſſe ſacerdotem: ait. *Reſpondeo quod non*, vbi æquiuocè loquitur, vix enim dignoſces, an ea reſpõſio negãs correſpondeat priori parti quæſtionis, & ſic erit huius ſẽtẽtiæ: an poſteriori: & ſic erit contrariæ. Et ſum. Latin. c. 6. n. 13. in fine, neutrũ etiam explicuit, ſed tantùm dicit religioſum fornicantem teneri explicare ſe religioſum eſſe.

23 Alij cenſent ſacerdotem profeſſum fornicantem non ſatisfacere dicendo ſe ſacerdotem eſſe. Quòd votum ſolemne religionis mutet ſpeciem, aut notabiliter aggrauet: & dicunt contrarium non eſſe probabile: & ſimiliter dicunt teneri explicare circunſtantiam ſacerdotij, nec ſatisfacere dicendo ſe profeſſum eſſe, & ordine ſacro initiatum: at ſi ſacerdos non ſit, ſatis fateri, explicando ſe profeſſum eſſe, & ordine ſacro inſignitum, nec teneri explicare, diaconus ne, an ſubdiaconus ſit. Quia quamuis ordo ſacer ratione voti nõ addat nouam deformitatem, ſupra profeſſionis votum: eam tamen addit, & notabiliter quidem aggrauantem, ratione conſecrationis ad miniſteria diuina: atque inter ipſos ordines ſacros, eam addit ſacerdotium. Quoniam ad longè altius miniſteriũ dedicat. Dicunt etiam, ſi Epiſcopus ſit, teneri explicare Epiſcopatum, ratione altioris conſecrationis. Ita Petrus de Ledeſma de ſacram. vbi de ſacram. pœnitentiæ cap. 19. circa circunſtantiam, perſonæ dub. 1. & 2. à fol. 619.

24 Tandem alijs placet, etiam profeſſum ſatisfacere dicendo ſe emiſiſſe votum caſtitatis. Ita opinantur quidam, teſte Henriq. lib. 5. de pœnitentia c. 5. n. 6. in commento, litera. G. & ipſe tantùm vocat oppoſitã ſententiam probabiliorem. Quare clarè exiſtimat hanc eſſe probabilem.

25 Sed vt meam ſententiã explicẽ, præmitto eum, qui ſemel factum à ſe votum, repetit millies, nullam in ſe obligationem diſtinctam ſuſcipere, ſed veterem tantum renouare, ac confirmare: quare ſi votum id violet, vnius ſolùm culpæ reus erit: nec in confeſsione tenebitur voti ſæpius repetiti mentionem facere. Quia omnia ea vota eodem prorſus modo ad vnam religionis ſpeciem pertinent. Sicut qui multa cõficit inſtrumenta eiuſdem obligationis, cũ eiſdem hypothecis, non plùs aſtringitur, quàm vnico confecto inſtrumento. Et ita docent Metina. 1. 2. quæſtion. 72. artic. 6. column. 2. verſic. ſed dices: & lib. 1. ſummæ capit. 9. pauló ante. §. 1. fol. 23. Ouand. 4. diſt. 25. quæſtion. vnic. poſt. 9. propoſitionem, corollario. 2. Henriq. lib. 5. de pœnitentia cap. 5. num 6. Azor lib. 11. inſtitutionum moralium. c. 14. q. 1. ad finem. Manuel. 1. tomo ſummæ. 2. edition. c. 23. nu. 4. concluſ. 2. fine: & 2. tomo cap. 94. num. 9. Vega. 2. tom. ſum. cap. 129. caſu. 8. Et eadem ratione eſt idem dicendum de iuramentis multiplicatis circa eandem rem, vt benè docet ibi Henriquez.

26 Erit tamen diuerſa malitia neceſſariò in confeſsione detegenda, ſi votum, & iuramentum de eadẽ re facta violentur. Quòd diuerſa ratione pertineãt ad religionis virtutem: nimirum, votum ob fidem datam Deo ſeruandam: iuramentum autem, ne Deus adducatur in teſtem falſò. Et ita docet Henriquez numer, præcedenti allegatus. Et clarè videtur tenere Azor lib. 11. inſtitutionum moralium capit. 10. quæſtion. 2. §. alijs tamen non videtur, vbi ait vincula voti, & iuriſiurandi ſuper eadem re eſſe diuerſa.

27 Prima concluſio ſit. Profeſſus fornicans ſatisfacit, ſi ſe votum emiſiſſe dicat, quia id ſolemne votum à ſimplici non differt ſpecie, neq; alterius rationis vinculum eſt, ſed ſolum accidentaliter, vt dixi diſput. 25. n. 7. & ita docent Doctores, quos in hac diſput. num. 24. retuli. Quanuis Metina lib. 1. ſummæ capit. 14. §. 18. fol. 119. pagin. 2. Henriquez lib. 5. de pœnit. capit. 5. num. 6. in comment. litera. G. Petrus Ledeſma numer. 23. allegatus. Aragon. 2. 2. quæſtio.

88. articul. 7. ad fin. Manuel. 1. tomo ſummæ. 2. edition. cap. 53. num. 5. dicant, hunc non ſatisfacere, ſed debere explicare profeſsionem. Quod quidem eſt valde probabile etiam retenta noſtra ſententia. Quia licet id votum non differat eſſentialiter, & ſpecie à voto ſimplici, addit tamen circunſtantiam ſtatus religioſi notabiliſsime aggrauantem.

28 Secunda cõcluſio ſi ſit. Sacerdos & profeſſus ſatis facit dicens, ſe ſacerdotem eſſe. Hæc eſt contra Doctores, numero. 23. allegatos, & tenent quos numer. 22. allegaui, quia hæc vota non ſunt diſtinctæ ſpeciei, quamuis probabile eſt: non ſatiſfacere, quia videtur multo grauior Monachi fornicatio, vt ait Paleotus de nothis & ſpurijs capitulo decimo ſexto, numero decimo quinto. Pro hac quoque concluſione, eſt Paludan. 4. diſtin. trigeſima octaua, quæſtione quarta, articulo primo, poſter. 5. concluſionem numero. 14. vbi ait profeſſum in ſacris conſtitutum fornicantem, eſſe duplicis voti reum. Cuius doctrinam non omnino approbo, vt dicam nu. 30.

29 Hinc infertur profeſſum ſatis fateri, ſi ſe votum ſolemne emiſiſſe dicat. Quod conſtat à fortiori ex dictis duplici numer. præcedenti.

30 Tertia concluſio. Sacerdos profeſſus fornicans, ſatis fatetur, ſe profeſſum, tacito ſacerdotio, dicens. Quia cùm caſtitas non ſit ex natura rei annexa conſecrationi ſacerdotij, ſed ex voti ratione annexi: (vt probauimus numero ſecundo) ſola malitia neceſſariò confitenda conſurgit ex voti tranſgreſsione. Tota autem malitia voti ordinis ſacri violati incluſa eſt in voto ſolemni profeſsionis violato. Nec obſtat, ſi dicas duplicem obligationem eſſe in ſacro ordine inſignitis, ad caſtitatem: alteram ex voto, alteram ex Eccleſiæ præcepto. Id enim numero decimo quarto reprobaui. Nec ſimiliter obſtat, ſi quiſpiam objiciat, Eccleſiam annexuiſſe votum caſtitatis ordini ſacro, ob miniſterij ſacri reuerentiam. At votum obligat propter fidem Deo præſtandam: atque ita videntur diuerſi fines virtutis religionis, ac proinde conſtituant diuerſam ſpecie malitiam. Sicut ob id diuerſa eſt malitia, ac duplex, vbi votum, & iuramentum de eadem re violantur, vt numero. 26. diximus. Hoc (inquam) non obſtat. Quia quamuis Eccleſia præcipiens, vt initiati emittant votum continentiæ, eum finem habuerit: at votum continentiæ emiſſum tantùm obligat ex vi fidelitatis Deo debitæ. Itaque ſi hi non vouerent in ordinis ſacri aſſumptione, delinquerent contra præceptum Eccleſiæ iubentis, vt voueant ob reuerentiam ordinis ſacri: at id votum emittentes ſatisfecere huic pręcepto: & fini Eccleſiæ, & ſola ſupereſt obligatio voti ad caſtitatem, vt ſtetur promiſſo facto, in Dei cultum. Hæc eſt aduerſus Petrum de Ledeſma allegatum numero. 23. Et videtur contra Paludanum, cuius verba retuli, numero. 28. Sed eam docent Metina libr. 1. ſummæ cap. 14. §. 18. fol. 119. pagina. 2. Ouand. & Manuel allegati, num. vigeſimo ſecundo. Et clarè tenent reliqui eod. numero vigeſimo ſecundo allegati: dicunt enim ſatis eſſe ſacerdotem profeſſum dicere, ſe eſſe ſacerdotem: quia vota ordinis, & profeſsionis non variant ſpeciem moralem: à fortiori ergo dicent ſatis eſſe, profeſsionem explicare.

31 Quarta concluſio. Sacerdos non profeſſus fornicans non tenetur ſacerdotij circunſtantiam fateri: ſed ſatisfacit ſe ſacri ordinis eſſe dicens. Hæc eſt contra Petrum de Ledeſma citatum, numero vigeſimo tertio. Et ratio eſt, quòd ſacerdotium nullam aliam obligationem ad caſtitatem afferat, quàm eam, quæ conſurgit ex voto emiſſo in ſubdiaconatu, (vt numero præcedenti diximus.) Nec reperitur vbi Eccleſia nouam obligationem iniunxerit. Quare ſecluſa ea Eccleſiæ conſtitutione, concubitus ſacerdotis eſſet ſimplex fornicario. Non ergo diuerſa malitia inuenitur, quam contra votum, quod in cæteris ordinibus ſacris reperitur. Præterea, quia licèt ea circunſtantia aliquantùm culpam augeat, ſicut auget fornicantem eſſe ſanctiorem, aut doctiorem, aut maximis Dei beneficijs affectum: hæc tamen non ita notabiliter aggrauant, vt ſit neceſſarium ea explicare. Et ita tradunt Palacios quarta diſtin. decima ſexta diſputatio. tertia columna. 13. poſterior primam concluſionem, verſiculo vnde non fat erit. Henriquez lib. 5. de pœnit. capit. 5. numero. 6. commento, litera. G. Ludouicus Lopez. 1. p. inſtructorij. c. 29. col. 9. §. præterea huic affinis eſt.

32 Imò ſatis puto dicere, ſe voto caſtita-

tis ligatum eſſe. Quòd tota malitia ſpecifica ſuperaddita conſurgat ex voti fractione (vt numero.30.probauimus:) & quanuis votum ordinibus ſacris annexum ſit ſolemne, non differt tamen à ſimplici per ſe & eſſentialiter: ſed ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, & accidentaliter, quia Eccleſia cõſtituit, per id votum diſſolui matrimonium, vt probaui numero.17.&.18. Quare nullam aliam malitiam ſpecificam reperio, quam in voti ſimplicis fractione: nec auget ea circunſtantia notabiliter (vt numero præcedenti declarauimus.) Nec Eccleſiam irritaſſe matrimonium poſtea initum, conſtituit nouam circunſtantiá neceſſariò fatendam (vt probaui diſputat.5. numero. 16.) Hoc eſt contra Manuelem allegatum, numero.22. & contra Petrum de Ledeſma, numero.23. relatum, dicentes non ſufficere explicare votum caſtitatis. Sed ita docent Stunica de voto quæſtion. 4. numero. 28. Henriquez lib. 5. de pœnit. capit. 5. numero. 6. commento, litera. G. in fine.

33 Adde idem eſſe dicendum, licèt fornicans ſit Epiſcopus, non enim tenetur Epiſcopatus circunſtanciam fateri. Quòd (vt probaui numero.7.) nullam aliam obligationem ad caſtitatem habeat, quàm ratione voti annexi ordini ſacro: vnde eiuſdem rationis eſt fornicatio Epiſcopi, ac fornicatio cuiuſcunque in ordine ſacro conſtituti. Hoc eſt contra Petrum de Ledeſma allegatum, num. 23. Et ideò hanc ſententiam dicit fortè eſſe veram Palacios, numer. 31. allegatus. Et tenet Henriquez numero præcedenti relatus. Addit bene Palacios ibidem, nec prælatum religionis fornicantem teneri prelationis circunſtantiam fateri, ſed ſolùm ſe profeſſum eſſe: ob eandem rationem. Ex quo infero fornicationem Epiſcopi nondum conſecrati, ſed tantùm electi, & confirmati, nec ſacro ordine initiati, non excedere malitiam ſimplicis fornicationis, nec continere circunſtantiam neceſſariò fatendam. Quòd nulli obligationi ſpeciali ad caſtitatem aduerſetur. Rurſus infero, illi Epiſcopo conſecrato ſatis eſſe fateri, ſe contra votum caſtitatis deliquiſſe, vt numer. præcedenti diximus de ſacerdote. Et docet Henriquez ibi allegatus. Et id apertè probat ratio adducta. Sunt tamen hæc accipienda, niſi fornicatio illa ab Epiſcopo, aut à religionis prælato admiſſa, ita publica eſſet, vt ſcandalum pareret: tunc enim aduerſus ſpecialem officij obligationem delinquerent, qua tenentur ſubditos non ſolo verbo, ſed exẽplo paſcere: atq; adeò ſpecialis malitia ex ſtatus, ac officij circũſtantia, contraheretur, eaq; neceſſariò fatenda.

Quinta concluſio. Si fornicetur religioſus Societatis Ieſu, ſolis votis biennij, aut coadiutoris temporalis, aut ſpiritalis, ſimplicibus ligatus, nõ tenetur ſe religioſum eſſe explicare: ſed ſatis eſt, vt votum caſtitatis explicet. Conſtat ex dictis numer.27. ibi de profeſſo id diximus. Præterea, quia ſi dicas ſtatum religioſi, in quo illi per ea vota verè & propriè cõſtituuntur, eſſe longè perfectiorem ſtatu ſacerdotis in ſeculo (vt docetet D. Thom. 2.2. quæſtion. 184. art. 8.) atque ita ratione ſtatus augeri malitiam. Id vtiq; fatebor, at id augmentum non eſt adeò notabile, vt circunſtantiam neceſſariò fatendam conſtituat. Quoniam peccata religioſi non variant ſpeciem, niſi voto aduerſentur, vt docent Caiet. 1.2.q. 7. art. 1. paulò poſt principium. Nauar. cap. conſideret, in principio num. 50. de pœnit. d. 5. & ſumm. cap. 6. Hiſpanè num. 11. Latinè numer. 13. qui in vtroq; loco addit, nec eam ſtatus circunſtantiam eſſe neceſſariò fatendam. Et ita hanc concluſionem docet Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 6. in commento, litera. G. Probabile tamẽ eſt teneri circunſtantiam religionis explicare, tamquam notabiliter agrauantem, vt numer. 27. dixi de profeſſo, fornicante. 34

Ex dictis deducitur, qui expreſſè fecit caſtitatis votum, ac præterea initiatus eſt ſacro ordine, & emiſit ſimplicia vota in Societate Ieſu, per quæ redditur verus religioſus, ſi fornicetur, ſatis eum fateri, ſi dicat ſe contra votũ caſtitatis peccaſſe. Quia omnia ea vota non eſſentialiter differunt à voto ſimplici. Nec votorum multiplicatio efficit, vt ea ſit neceſſariò in confeſsione detegenda (vt probaui. n. 25.) Et ita docet Henriq. nu. præcedenti allegatus. 35

Secundò deducitur, profeſſum, qui ſe non habiturum mollitiem vouit, & tranſgreſſus eſt, ſatis fateri ſe profeſſum indicando, tacito eo voto. Quia voto caſtitatis emiſſo in profeſsione ad idem tenebatur, nec multiplicatio votorum nouam affert malitiam. Sic Llamas in methodo curationis animarum. p. 3. c. 4. §. 39. Et idẽ dicendum eſt de clerico in ſacris conſtituto, vel religioſo Societatis Ieſu nondum profeſſo, aut iam profeſſo, & de quocunque alio 36

qui votum caſtitatis fecit, imò & his omnibus, ſatis erit dicere, ſe contra votum caſtitatis, aut contra votum non polluendi ſe, deliquiſſe. Quia in ijs ſola malitia fractionis voti reperitur, quòd enim alterum ſit ſolemne, alterum vero ſimplex eſt ſola differentia accidentalis. Et licèt votum caſtitatis plura contineat, quá abſtinentiam à peccato molliciei: at dum violatur ſola mollitie habita, non ampliùs violatur, quã ſi eſſet votum ſolius abſtinentiæ à mollitie. Si tamen is vltra mollitiem, admitteret aliud peccatũ in ea, caſtitati aduerſum, vt delectationis moroſæ in fœminæ cogitatione, aut cõcupiſcentiæ ipſius, aut tactuũ cum tertia perſona, non ſat eſſet explicare votum abſtinendi à pollutione, ſed aut ſimul eſſet votum caſtitatis explicandum, aut ſolũ id caſtitatis votum: quia in peccato adiuncto non explicaretur circumſtantia violationis voti.

Sexta concluſio. Si initiatus ſacris, aut profeſſus, aut qui aliàs votum caſtitatis emiſit, iureiurando ſe aſtringat ad caſtitatem, non ſatis fatebitur fornicationem, declarans profeſsionem, ordinem, votũ, aut ſolùm iuramentum explicans, ſed cum alijs vinculis tenetur iuramentum fateri. Quòd ſint diuerſæ rationis vincula neceſſariò in confeſsione detegenda, vt probaui num. 26. 37

Ex dictis. n. 27. & n. 28. conſtat ſatis probabile eſſe ſacerdotem profeſſum ſatisfateri ſi ſe ſacerdotem aut voto ligatũ dicat. 38

Ad argumenta propoſita, nu. 17. conſtat ex dictis. 39

DISPVTAT. VIGESIMAOCTAVA.

Vtrùm ſacer ordo dirimat matrimonium ſubſequens: & quo iure?

SVMMARIVM.

PRoponuntur textus probantes matrimoniũ contractum poſt ſacrum ordinem, nõ eſſe irritum, nu. 1.
Eſt irritum, nu. 2.
Nunquam licuit in Eccleſia initiatis ſacro ordine, matrimonium inire, nu. 3.
Græcus ſacris initiatus non poteſt mortua vxore aliam ducere, nu. 4.
Quid diſtet inter Eccleſiam Latinam, & Græcam, quoad matrimonium ante ordines ſacros initum? nu. 5.
An peccent Græci in ſacris conſtituti, vtentes matrimonio ante ea inito? nu. 6.
Soluũtur argumẽta. Et explicantur. c. diaconi d. 28 cap. quoniam, & cap aliter. d. 31. & an canones ſextæ Synodi, quos vocant Trullanos, ſint authentici, nu. 7.
Quo iure ſacer ordo matrimoniũ poſtea cõtractum dirimat? Explicatur quid diſtet inter hanc quæſtionem, & illã, an ſit annexa ordini caſtitas iure diuino, nu. 8.
Refertur duplex ſententia, nu. 9. & 10.
Proponitur ſententia Authoris, nu. 11.
An ordo ſacer iure naturæ, impediat matrimonium ſubſequens, licèt id non dirimat? numer. 12.
Epiſcopatus, quo iure dirimat matrimoniũ ſubſequens: & quid, ſi is Epiſcopus nondum ſit conſecratus, nec ordinis ſacri? nu. 13.
Soluuntur argumenta, nu. 14.

1 DVplicem petit quæſtionem diſputatio præſens. Alteram, an ordo ſacer dirimat matrimonium poſteà initum: alteram, quo iure. Et circa priorem quæſtionem, videtur pars negans vera. Primò, ex canone. 6. Apoſtolorum, ibi. *Epiſcopus, aut presbyter vxorem propriam nequaquàm obtentu religionis abijciat.* Secundò ex concilio Gangrenſi, canone. 4. ibi. *Quicunque diſcernit à presbytero, qui vxorem habuit, quòd non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit.* Tertiò, quia Stephanus Pontifex, & refertur cap. aliter. d. 31. ait in Orientali Eccleſia Clericos matrimonio copulari. Nec eum morem reprehendit. Quartò, quia. D. Aug. lib. 15. de ciuit. dei capit. 16. Et refertur cap. vnic. 35. quæſt. 1. ad finẽ, verſ. illud autẽ, ſic ait. *Eccleſia poſt Apoſtolica inſtituta, quadam conſilia perfectionis addit: vt potè de cõtinentia miniſtrorũ.* Quintò, ex. c. diacon. 28. d. quod eſt ex Synodo Ancyrana. c. 10. ibi. *Diaconi quicunq; cùm ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, dicentes, velle ſe habere vxores, nec poſſe cõtinere,*